

DE
CARMINE CIRIS



DE

Carmine Ciris

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

AD. WALTZ

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS

JOSEPH BAER ET Cie

18, RUE DE L'ANCIENNE COMÉDIE

(FRANCFORT-SUR-LE-MEIN, 18, ROSSMARKT)

1881

VIRO DOCTISSIMO EIDEMQUE ACUTISSIMO

AEMILIO EGGER

GRAECARUM LITTERARUM IN FACULTATE PARISIENSI PROFESSORI

HOC OPUSCULUM DEDICAT

REVERENTISSIMUS AUCTOR

DE CARMINE CIRIS

I

Prooemium. Quid de auctore Ciris a veteribus traditum sit, quidque ex ipso carmine didicerimus.

Carmen *Ciris* inscriptum una cum aliis poematibus nonnullis servatum est, inter se genere, virtutibus, aetate etiam differentibus; quae omnia Vergilio, pauca tamen iure, tributa sunt. Vetustissimus fuit liber quo, ut ab Donato et Servio traditum est, septem vel octo carmina continebantur; hic sensim crevisse et in duas partes videtur digestus esse, quarum altera Culicem, altera Cirin continuerit. Inde, in posteriore medii aevi parte, collecta, sive universa, sive partim, poemata illa, quae ceteris Vergilii aut aliorum poetarum operibus addita sunt [1].

1. In Helmstadtiensi n. 332 (nunc Guelferbytano) poematia illa inter Georgica posita sunt et Aeneidem; in Rhedigerano Statii Silvas

Plura quidem horum carminum constat ne tempore quidem Maronis exarata esse; cum *Aetna* profecto intra annum LXIII et LXXIX compositus sit [1]; hae autem eclogae *De viro bono et prudente, De Ut et Non monosyllabis, De rosis nascentibus, Ad puerum,* tempori tantum adscribi possint, quo iam non mediocriter lingua romana degeneraverat; deque Elegiis *In obitum Maecenatis, De Maecenate moribundo* non dubitetur, quin a rudi quodam primi saeculi tirunculo scriptae sint. Augusti vero ad tempus pertinent *Catalecta, Lydia, Dirae, Copa, Ciris, Culex* et *Moretum.* Copiam igitur habemus satis amplam et variam Epigrammatum, Elegiarum et epici generis scriptorum, quae necesse est pariter ac summa opera inspiciamus, si recte volumus iudicare quis fuerit illius saeculi cultus, quae studia, quae humanitas. Quodsi auctoritatem virorum doctissimorum secuti aut Vergilio Catalecta pleraque, Copam et Moretum tribuimus [2], aut eo non indigna existimamus, reliqua a versificatoribus ficta sunt mediocribus plerisque et egregiorum vestigiis

excipit Ciris; Vaticanum 3255 (saec. xv) Georgica continet, deinde Culicem, Cirin, Moretum, etc. (Cf. S. Ribbeck, *Appendix Vergiliana.*)

1. Opinionem hanc, quam defendit O. Ribbeck (*App. Verg.*, Prol., c. I, p. 23) non his refringit A. Baehrens (*Poet. lat. min.*, II, p. 31): « Quod v. 425 sqq. regionis Campanae vim vulcaniam exstinctam dicit, idcirco necesse est scripserit ante a. 63 p. Chr. n., cum inde ab hoc tempore ignem sepultum Vesuvii oraeque adiacentis rescuscitatum esse certissimis signis, terrae motibus, cognossent ».

2. De auctore Copae nostri temporis grammatici fere omnes dubitant, quam, ut propter perfectam orationem ad optimam poesis romanae aetatem referunt, ita propter proprias virtutes Vergilio abiudicant. Moretum Vergilio confidenter tribuit O. Ribbeck, alii tantum primis post Christum natum decenniis vindicant. Quod ad Culicem, eiusdem sententiam, Maroni carmen hoc tribuentis, non approbamus; sed potius Aemilio Baehrens assentimur ab ignoto scriptore Culicem fere circa a. 30 a. Chr. n. compositum iudicanti.

utcumque insistentibus; neque tamen parvi sunt momenti res vere aestimantibus, cum exercitum si velis novisse, non satis sit quaerere qui fuerint duces, sed quales ipsi milites, neque illorum laudem non plane possis perspicere, nisi horum quoque robur et virtutem noveris.

Ciris autem maxime cum propter numerum versuum tum propter sententiarum gravitatem et singularem quandam aliorum poetarum scripta imitandi rationem digna est quae non neglegatur ab hominibus veterum litterarum studiosis.

Igitur quis eam composuerit, cum sit adhuc sub iudice, nobis quoque licere putavimus indagare; et, cum ipsum opus a doctissimis Vergilii editoribus summa cura nuper perpensum et correctum sit, operae pretium fore arbitramur de carmine disputare quod, etsi optimis operibus antiquitatis non est adnumerandum, tamen unum est eorum, quae et per se laudem aliquam merentur, et nos docent quales fuerint apud Romanos Augusti tempore lingua et litterae.

Carmen Ciris, typis primum anno MCDLXXI in editione Romana altera expressum, nonnisi in paucissimis codicibus servatum est, quorum fere nullus typorum inventione vetustior est, nonnulli autem recentiores [1].

Quorum librorum inscriptionibus addendum est tantum Donati et Servii testimonium, quorum ille Cirin inter prima adulescentis Vergilii opera laudat [2], hic in

1. Rhedigeranus saeculi est XIII vel XIV, Arundelianus Musei Britannici 133 saec. XV, Vaticanus 3255 saec. XV, Helmstadtiensis anni MCDLXXIV, Adalbertinus saec. XVI, Brucellensis saec. XII (inde a versu 458). Cf. O. Ribbeck, *Appendix Vergiliana*, proleg., c. III; A. Baehrens, *Poetae lat. min.*, t. II, p. 17.

2. Reifferscheid, *Suet.*, Lipsiae, 1860, p. 58.

DE
CARMINE CIRIS

Huius autem generis carmina iampridem se attigisse profitetur, qui et in illis

> aevi
> Prima rudimenta et primos *exegerit* annos [1].

Versiculos quoque minus severos videtur composuisse, ut ex his intellegitur :

> Quamvis interdum ludere nobis
> Et gracilem molli liceat pede claudere versum [2].

Itaque pro certo habendum est Ciris auctorem fuisse natu iam grandiorem, qui nondum tamen ad senectutem pervenerit. Ut enim primi versus homini tantum conveniunt adulescentiam iamdudum egresso, ita non senioris est scientiam naturae eo animo adire ut postea tanti operis onus suscipiat. Athenis praeterea philosophiae non ita pridem se addicere coepit, nec tamen artem deseruit, quam a teneris coluit haud infeliciter. Denique quis potissimum fuerit ille Messalla, doctissimus iuvenis, cui carmen de Scylla misit, tum demum vere iudicabitur, cum tempus, quo scriptum est, finiverimus.

Quod autem ad tempus pertinet, nihil est unde maioris momenti argumenta hauriamus, quam ex propria ratione qua noster alios poetas imitatus est. Imitationem enim undique redolet hoc carmen, praecipue Catulli et Vergilii, ne Lucretium proferam, a quo non pauca videtur sumpsisse, et alios quoque veteres poetas, quorum membra disiecta in eo forsitan inveniremus, si exstarent plura P. Terentii Varronis Atacini, C. Helvii

1. Ciris, 44.
2. Ciris, 19.

Cinnae, C. Licinii Calvi. De frustis ergo Catullianis et Vergilianis nobis disputandum est, praesertim Vergilianis, ut demonstremus re vera ipsum Ciris auctorem illos imitatum esse, non Catullum et Vergilium ex Ciri, cuiuscumque sit auctoris, integros versus aut versuum partes deprompsisse. Sed, cum veri simile sit eum graecum quoque aliquem poetam secutum esse, de hac quaestione pauca antea dicenda sunt.

II

Quid Ciris auctor graecis litteris, quidque Catullo debuerit.

Ipso quidem argumento, et eo quod scientia rerum pristinarum cum arguta quadam arte animi affectus exprimendi ita coniuncta est, ut epici carminis simul et tragici lyricique opibus poeta usus esse videatur, Cirin ab Alexandrina origine ortam esse apparet. Quos vero maxime inter graecos auctores secutus sit, minus liquet. Callimachum enim in Αἰτίοις fabulam eandem tractavisse nec certo ex nobili Martialis loco concludi potest [1], neque ipsius fragmenta satis confirmant [2]. Profecto et aliis a poetis tractata est vulgata illa fabula, quam postea relatam invenimus apud fere omnes eos qui de rebus antiquis scripserunt, nempe apud Apollodorum, Hyginum, Pausaniam, Hippolyti Euripidis Scholiastam (v. 1200) [3].

1. Qui legis Oedipodem caligantemque Thyesten
Colchidas et Scyllas, quid nisi monstra legis?
.... legas αἴτια Callimachi.
(Mart., *Epig.*, X, 4.)

2. Σκύλλα γυνὴ κατακᾶσα καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα. Call. fr., CLXXXIV. Ed. Blomfield, Lond. MDCCCXV.

3. Apol., III, 15, 8. Ed. Heyne, Gottingae, 1803. Hygini fabulae 198, ubi Scylla in piscem cirin mutatam legimus. Ed. Scheffer et Munecher, Hamburg, 1674. Pausanias, I, 19, 5; II, 34, 7. Ed. Schubart, 1870.

Sed nostro poetae veri similius est exemplo fuisse Parthenium Nicaenum, quem Suetonius cum Euphorione et Rhiano una laudavit [1]; et a quo, auctore Macrobio, versus aliquos assumpserat Vergilius [2]. Is enim non modo inter sex et triginta antiquas fabulas, quarum argumenta Corn. Gallo poetae scripsit, nonnullarum eiusdem generis mentionem fecit; sed ipse in *Metamorphoseon* libro eam materiam attigerat, quod ex Eustathio discitur, ad Dionysii Periegetae versum 420 : Μίνως λαβὼν τὰ Μέγαρα διὰ Σκύλλης τῆς Νίσου, θυγατρὸς ἐρασθείσης αὐτοῦ καὶ ἀποταμούσης τὴν τοῦ πατρὸς κεφαλὴν (quod in scholiis ita legitur τῆς κεφαλῆς τοῦ πατρὸς τὸν μόρσιμον πλόκαμον καὶ οὕτως αὐτὸν προδούσης) ἐνενοήσατο ὅτι ἡ τὸν πατέρα προδοῦσα οὐδένος ἂν ῥαδίως φείδοιτο, καὶ διὰ τοῦτο προσδήσας πηδαλίῳ νηὸς τὴν προδότιν καὶ πατροφόντιν ἀφῆκε σύρεσθαι διὰ θαλάσσης καὶ αὐτὴ μὲν εἰς ὄρνεον μετεβλήθη, ὥς φησι Παρθένιος ὁ τὰς Μεταμορφώσεις γράψαι λεγόμενος, ὁ δὲ κόλπος (Saronicum sinum dicit, idemque apud Euripidis Scholiastam in loco supra dicto invenimus) παραγραμματισθεὶς ἔσχε τὴν κλῆσιν ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι. Forsitan eiusdem est illud quoque πορφυρέην ἤμησε κρέκα, quod Suidas tradidit [3].

Noster igitur sane videtur imitatus esse opus Parthenii, quo duce etiam usus est Corn. Gallus et forsitan in

Eurip. Schol. Ed. Dindorf, ubi Nisus dicitur χρυσοῦν πλόκαμον habuisse, et eius filia a Mino navi alligata, postquam in mare cecidit, monstri figuram sumpsisse, θηρίον γενομένη.

1. Fecit et graeca poemata imitatus Euphorionem et Rhianum et Parthenium. Suet., *Tib.*, LXX.

2. Macr., V, 17. Cf. A. Gel., XIII, 25 : γλαύκῳ καὶ Νήρει καὶ εἰναλίῳ Μελικέρτῃ eum versum Vergilius aemulatus est.

3. Meinecke, *Anal. Alex.*, p. 255. — Parthenium Nicaenum probabile est Romam ductum fuisse, postquam Nicaea in Bithynia a Barba, Luculli legato, capta est anno U. C. 681. Elegeias, Aphroditen, Aretes encomium et multa alia composuisse narratur.

Moreto Vergilius [1]; et alii graeci poetae ei profecto propositi sunt, quorum non paucos similia argumenta tractavisse accepimus. Idem enim Parthenius fabulam commemorat Pisidiae Methymnensis quam, postquam amore furens patriam Achilli tradidit, lapidibus ille iussit opprimi. Similiter Croesi filiam Nadhim Cyro Sardis prodidisse Licymnius Chius et Hermesianax rettulerunt. In ipsa Ciri praeterea nominari videtur Palaephatus quidam, de quo nihil certi afferri possit, quoniam et libellus, cui hoc nomen adscriptum est, nihil de Ciris fabula continet, et coniectura tantum id in versum admissum est, qui ita legitur in libris manu scriptis omnibus :

Docta palepaphiae (palepaphie) testatur voce pachinus [2] (pachinnus).

Quod ad singula attinet, quid mirum si in Ciri quasi vestigia Apollonii invenimus, cuius Medeae Catulli Ariadna et Maronis Dido aemulae sunt? In locis autem nonnullis non modo illius imitatores, sed et ipsum noster videtur secutus esse : ita in Argonauticon libro tertio, Eros dicitur matri suae aegre obedire, cum Iunoni et Minervae his verbis respondet Venus :

Ἥρη, Ἀθηναίη τε, πίθοιτό κεν ὔμμι μάλιστα
ἢ ἐμοί......... αὐτὰρ ἐμεῖο
οὐκ ὄθεται, μάλα δ'αἰὲν ἐριδμαίνων ἀθερίζει.

1. O. Ribbeck, *Appendix Verg.*, p. 14.

2. Ciris, 88. In libri περὶ ἀπίστων cap. 21 (Ed. I. F. Fischer, Lips. a MDCCLXXIX) hoc tantum relatum est, Scyllam monstrum muliebri superne figura, in canem vero desinens, citam fuisse Tyrrhenorum triremem quae circum Siciliam navigans navés ceteras persequeretur. Inde Scaliger suspicatur « Vergilium in divino poemate Ciri Palaephatum citare, sed ex alio libro, quam ex primo (quem solum monet superesse de quinque). » Scal. *Animadv.* in Eusebii Chronicis Amstel. 1658.

Quod Vergilius sic mutavit in primo Aeneidos libro :

> Paret Amor dictis carae genetricis;

noster contra retinuit :

> Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
> Iratum potuit [1].

Ita etiam multa potuerunt ex Moschi Europa excerpi, quae tamen etiam in Catulli Ariadna Ciris auctor invenerat; sed credibile est, cum describeret Minervae peplum [2], ei exemplo fuisse locum hunc Euripidis Hecubae :

> ἢ Παλλάδος ἐν πόλει
> τὰς καλλιδίφροι' Ἀθαναίας ἐν κροκέῳ πέπλῳ
> ζεύξομαι ἅρματι πώλους
> ἐν δαιδαλέαισι ποικίλλουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις,
> ἢ Τιτάνων γενεὰν,
> τὰν Ζεὺς ἀμφιπύρῳ κοιμίζει
> φλογμῷ Κρονίδας.

Catulli vero carmina haud dubie expilavit et variis imitandi rationibus (quo manifestior fit imitatio) usus est; namque et Ariadnam Scylla rettulit, et in poemate nostro versuum partes non modo ex Epithalamio Pelei et Thetidos, sed ex aliis quoque carminibus desumptas reperimus; neque raro, si singula excusserimus, Catullianae aliquid orationis deprehendemus.

Cirin et Epithalamii partem, quae ad Ariadnam pertinet, inspicienti statim occurrit, quam et rebus et arte inter se similes sint. Etenim scriptor uterque materiam

1. Ciris, 133.
2. Ciris, 20-34.

sibi delegit ad Cretensium cum Atticis certamen pertinentem, immo ex isdem, nempe Minois et Pandionis, domibus personas induxit; uterque nimio incensam amore feminam derelictamque ab amato viro expressit, ita tamen ut apud alterum virgo sit Cretici, apud alterum Attici generis. Praeterea uterque non aeque omnes argumenti partes explicavit. Catullus enim, postquam Ariadnam depinxit in litore destitutam, sortemque suam deplorantem, refert quo modo natus sit eius amor, ceterisque brevissime memoratis, pluribus verbis orationem fingit qua periurum diris precibus prosequitur; postremo Egei errorem mortemque miserabilem narrat. Simili modo noster versibus paucissimis quaedam, copiosius vero eas tractat partes argumenti quae elegorum vel tragoediae generi quasi accedunt, ut sermonem Scyllae cum nutrice, aut preces quibus patris voluntatem sibi conciliare conatur. Ut breviter facta et casus attinguntur, ita Minoa tam fuse Scylla incusat quam de Theseo queritur Ariadna. Denique exitus rei, ut apud Catullum, satis ample explicatur, scilicet Nisus eiusque filia in aves mutati. Itaque et in summa operis et in ipsa tractatione ea est similitudo, ut dubitari nequeat, quin posterior superiorem imitari et aemulari sibi proposuerit.

Quid quod uterque eodem res breviter colligendi modo et eadem quasi formula utitur? Namque ut ille dixit :

> Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
> Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
> Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit [1];

ita apud hunc tres versus, quibus quoque memorantur res praeteritae, verbo *tum* incipientes leguntur (et aliae eiusmodi similitudines notabuntur) :

1. Cat., LXIV, 19.

Tum coma Sidonio florens deciditur ostro;
Tum capitur Megara et divum responsa probantur,
Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo [1].

Multis aliis in locis aeque communes sunt utrique carmini versus vel versuum particulae. Quorum locorum cum frequentia tum varietas non fortuitam similitudinem, sed quaesitam et elaboratam illam declarant imitationem, qua magistros exspoliare solent discipuli.

Nunc verba ipsa et inde saepius numeros Catullus suppeditat, unde furta pateant hoc modo :

Cecropius *suaves exspirans* hortulus auras.
(Cir., 3.)

Regia quam *suaves exspirans* castus odores
Lectulus [2].
(Cat., LXIV, 87.)

Haec *tamen interea quae* possumus, in quibus aevi
Prima rudimenta et primos exegimus annos
Accipe dona.
(Cir., 45.)

Nunc *tamen interea* prisco *quae* more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias
Accipe.
(Cat., CI, 7, 9.)

At roseus medio surgebat vertice crinis.
(Cir., 122.)

At roseae niveo (annoso niveae) residebant vertice vittae.
(Cat., LXIV, 309.)

Iamque adeo dulci devinctus lumina somno.
(Cir., 206.)

Aut ut eam [tristi] devinctam lumina somno.
(Cat., LXIV, 122.)

1. Ciris, 387.
2. Non supervacaneum videtur animadvertere in utroque loco nomen usurpari quod deminutum vocatur.

Numquam ego te summo volitantem in vertice montis.
(Cir., 307.

Ergo *ego te* audiero *numquam* tua facta loquentem
Numquam ego te, vita frater amabilior
Aspiciam posthac.
(Cat., LXV, 10.)

Ut cum caesa pio *cecidisset victima ferro.*
(Cir., 366.)

Quae velut ancipiti *succumbens victima ferro.*
(Cat., LXIV, 369.)

Non modo igitur poeta noster a Catullo versus particulas, initia finesque, ut solent in schola pueri, arripuit; sed apparet eum id libenter fecisse nec sine quadam laudis captatione, morem aetatis suae secutum. Quot vero alias minus, ut ita dicam, serviles apud eum imitationes deprehendimus! Nunc res et sententias inde depromit: nonne Minervae peplum in prima Ciris parte vesti purpureae, ubi describitur Ariadna, respondet? Alias, postquam uterque iisdem fere coloribus muliebres pinxit furores, eos Cupidini imputat, ita tamen ut facile iudicari possit, Ciris auctori, cum egregium exemplar exprimere vellet, male rem successisse [1].

Item ut hic maris Nymphae cum patre Oceano aliisque numinibus per undas tractam Nisi filiam mirantur, ita apud Catullum Argonautis fluctus proscindentibus,

Emersere feri canenti e gurgite vultus
Aequoreae monstrum Nereides admirantes [2].

1. Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces.
(Cat., LXIV, 95.)
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, etc.
(Cir., 133.)

2. Νηρεΐδες δ' ἀνέλυσαν ὑπ' ἐξ ἁλὸς, οἱ δ' ἄρα πᾶσαι
κητείοις νώτοισιν ἐφήμεναι ἀντοχέοντο.
καὶ δ' αὐτὸς βαρύδουπος ὑπεὶρ ἁλὰ Ἐννοσίγαιος, etc.
(Cat., LXIV, 14. Cf. Moschus, Εἰδ. B. 118.)

Ad haec, quot paria ac similia sunt in iis verbis quibus virgo utraque de periuro queritur! Utraque formam viri incusat, utraque luget quod non illi possit saltem serva famulari [1].

Nunc si ad orationem attenderis, quot dicendi figuras Catullo noster debet! Jam ineunte carmine, haec :

Etsi me vario iactatum laudis amore, etc...

initium simile carminis ad Hortalum initio referunt :

Etsi me adsiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus, etc.

Quis haec in Ciri legens :

Non storace Idaeo fragrantes tincta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens bacata monilia collo [2],

illa Epithalamii non meminerit :

Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincla papillos [3]?

Alios aliquot utriusque versus conferemus, ubi manifesta est imitatio vel in verborum usu, ordine et coniunctione, vel in singularibus dicendi modis.

1. Cat., LXIV, 160; Ciris, 443.
2. Ciris, 168. Cf. Ennius, fr. XL (Ed. Vahlen) :

Et pedibus laeva Sicyonia demit honesta.

3. Cat., LXIV, 63. Qui locus idem in Ciri iterum repetitur, v. 511 :

Purpureas flavo retinentem vertice vittas.

Nam verum fateamur. Amat Polyhymnia verum.
(Cir., 55.)

Iure igitur vincemur. Amat victoria curam.
(Cat., LXII, 16.)

Saepe lapis *recrepat* Cyllenia murmura pulsus.
(Cir., 108.)

Leve tympanum remugit, cava cymbala *recrepant*.
(Cat., LXIII, 29.)

Quae simul ac venis hausit sitientibus ignem
Et validum penitus concepit in ossa furorem.
(Cir., 163.)

Cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
Heu misera exagitans immiti corde furores.
(Cat., LXIV, 92.)

Non accepta piis promittens munera Divis.
(Cir., 219.)

Non ingrata tamen frustra munuscula Divis
Promittens.
(Cat., LXIV, 103.)

Non est Amathusia nostri
Tam rudis.
(Cir., 242.)

Non est Dea nescia nostri.
(Cat., LXVIII, 17.)

Nec me illa quidem communis alumnam
Omnibus iniecta tellus tumulabit harena.
(Cir., 441.)

Neque iniecta tumulabor mortua terra.
(Cat., LXIV, 153.)

Et gelida venientem *ignem* quatiebat ab *Oeta*.
(Cir., 350.)

Nimirum *Oetaeos* ostendit noctifer *ignes*.
(Cat., LXII, 7.)

Alia quaedam similia notabimus, cum maxime de sermone et de re metrica qualia sint in hoc carmine disputabimus; nunc sane perspicuum est auctorem Ciris

fuisse Catulli imitatorem et discipulum, ex eius operibus res et verba non raro hausisse, eiusque imitationem ostentasse, nedum eam dissimularet.

III

Qua ratione Ciris auctor Vergilium imitatus sit.

Ex iis, quae supra dicta sunt, constat Ciris auctorem Catulli fuisse imitatorem et praeterea eo tempore floruisse quo Catulli auctoritas auctoritate magnorum poetarum, qui eum secuti sunt, nondum praegravata esset : quod confirmatum est a viro doctissimo, L. Mueller, qui, cum in verborum fine animadvertit, *o* brevem nusquam occurrere, *o* productam sive in arsi sive in thesi decies quater, neque aliter se rem habere in Catalectis, Culice, Moreto, haec addidit [1] : « Hinc apparet non esse composita illa post Claudii Neronisque tempus, nec est ulla causa cur Augusto recentiora esse dicamus. Quid quod partem eorum ne Vergilio quidem Propertioque posteriora satis esse constat? maxime autem res certa in Ciri, quippe cuius auctor aemulando pluribus in locis expresserit Catulli elegias et epyllion de Peleo et Theti, quae qui fuerit sectatus post Augusti aetatem cognovi neminem, cum certatim omni tempore admirarentur imitarenturque hendecasyllabos et iambos [2]. »

1. L. Mueller, *De re met.*, p. 42.

2. Cf. exempli gratia, Pl. Iun., *Epl.*, IV, 14, hendecasyllabos suos Paterno mittentem; scimus, ait, alioqui huius opusculi illam esse

At carminis nostri cum Vergilii operibus comparatione spatium intra quod compositum est, finibus certioribus claudetur, scilicet illi tempori assignabitur quod mortem Vergilii proxime subsecutum est. Etenim sententiarum aut verborum quae in Ciri et apud Maronem esse communia videmus, pleraque et illa quidem maxime notabilia ex Bucolicon libro et inprimis ex Ecloga octava deprompta sunt; sed alia quoque, neque ea pauca, ex Georgicis et Aeneide; qui ergo Vergilio Cirin tribuunt, id colligant necesse est, summum illum poetam aut per omnem vitam et optimis in operibus hunc imitatum esse adulescentiae suae fetum, aut in maturiore aetate sua omnia opera expilavisse ut inde aliud quoddam omnino diversum atque indignum ceteris componeret; nisi forte fateri velis (quod profecto non magis est probabile) hoc epyllion superioris alicuius esse scriptoris, quem Vergilius et in Bucolicis et in Georgicis et in Aeneide toties et tam variis modis fuerit imitatus!

Omnia quidem excerpere quae inde in Cirin translata sunt, longius sit, et plura ea in diem studiosus lector inveniat, quo diligentius singulos versus inspexerit; nos rationem tantummodo imitationis et varietatem exemplis illustrabimus.

Sed antea necesse est aliquid dicamus de universo apud Romanos poetas imitandi genere, quo planius intellegatur quae nostri in hoc ratio fuerit. Si enim in perpendendis veteribus trutina eadem uteremur qua in recentioribus, quam mirum esse deberet quod supra de Catulli imitatione in Ciri demonstratum est! Quanto

verissimam legem quam Catullus expressit, etc. Idem alias Sentii Augurini hos refert versiculos :

> Canto carmina versibus minutis
> His olim quibus et meus Catullus, etc.

magis mira imitatio Vergilii! Huius enim ex operibus non modo nomina, verborum iuncturae, particulae versuum, sed toti, immo plures et continui versus adsumuntur. Cum autem Ciris neque peiori tempori tribui possit, neque lusus sit Centonis Ausonii instar, aut nescio cuius adulescentuli exercitatio, sed viri maturi opus, neque ingenio, neque tempore quo vixerit contemnendi, quaerendum est quo pacto tam mirum in modum potuerit superiorum et aequalium scripta suis commiscere eaque tanquam propria usurpare. Quaestio haec ad litteras universas Romanorum pertinet eademque tractata ad recte iudicandum nostri carminis auctorem non parum proderit.

Non raro quidem in poetarum nationis cuiuslibet operibus reperias quaedam communia, neque adeo mirum est ubi similes sensus similiaque facta describunt, quosdam interdum scriptores oratione verbisque et versuum specie inter se congruere; quoties etiam alii aliorum sententias quas ipsi excogitavisse sibi videntur, vel inscii repraesentant, cum iis sponte memoria suppeditet quod suopte ingenio creavisse arbitrentur! Praeterea apud Romanos aliter quoque se res habebat. Nam scripta perlegentes vel aetatis illius quae maxime litteris floruit, ubique imitationem, qualem nusquam alias, deprehendimus.

Romae etenim poetica, aliena ex terra delata, arti plus quam naturae debuit; cumque veterum Romanorum lingua parum esset carminibus idonea, ipsa re unusquisque coactus est a superioribus vel graecis vel romanis eloquendi copiam et artificia trahere. Inde ab Ennio videtur fuisse communis quaedam quasi hereditas, quam cordi fuit optimo cuique servare et pro virili parte auctam posteris relinquere. Itaque locutiones quasdam, sententias, aliaque ornamenta unusquisque sequenti-

bus tradidit; unusquisque orationem suam alienis opibus decoravit; quas tamen ipse plerumque quodam modo mutare et amplificare conabatur. Laudi ducebat optimus quisque et veterum dicta in memoriam legentis revocare, et cum eis quasi certamen inire, dum rebus sibi velut hereditate relictis melius uti se confidebat. Quare P. Maronem non mediocriter laudavit Macrobius, cum haec diceret [1] : « Quis fraudi Vergilio vertat, si ad excolendum se quaedam ab antiquioribus mutuatus sit? Cui etiam gratia hoc nomine habenda est quod nonnulla ab illis in opus suum, quod aeterno mansurum est, transferendo, fecit ne omnino memoria veterum deleretur. Denique et iudicio transferendi et modo imitandi consecutus est; ut, quod apud illum legerimus alienum, aut illius esse malimus, aut melius hic, quam ubi natum est, sonare miremur. »

Ceterum hoc, etsi nobis mirandum videtur, exemplis summorum Augusti aetatis poetarum confirmatur. Si quid semel recte dictum est, id perire non sinunt, ideoque, quoties res eadem significanda est, saepius eadem verba usurpant. A Vergilio, praeterquam quod quadraginta fere versus mutato uno tantum verbo repetuntur, totidem ne uno quidem verbo mutato, inter quos continui etiam plures iterum sumuntur [2]. Non aliter egit aliquoties Horatius [3] et ipse Ovidius, qui quamvis ingenii maxima praeditus sit ubertate, tamen praeter cetera totum versum, immo duo continuos nonnumquam suis carminibus bis inserit [4].

1. Macr., *Sat.*, VI, 1.

2. Cf. Verg., Forbiger, *Ecl.*, 5, 37.

3. S. I, 2, 23 et A. P. 421; S. I, 2, 27 et S. I, 4, 92; S. II, 3, 163 et Epl. I, 6, 28; O. I, 19, 1 et IV, 1, 5 (mater saeva Cupidinum). Teuffel, *Ueber H.*, p. 18.

4. A. R. Zingerle, *Ovidius*. Innsbruck, 1871.

Adde quod non sua tantum ita referunt, sed aliena. Supervacaneum est versuum fines et particulas numerare quas, tanquam inopia linguae coacti, in medio habere videbantur; sed memorandi locus est Vergilium « non verba sola, ut ait Gellius, sed versus prope totos et locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse [1]. » Quantam etiam copiam locorum exhibet Macrobius, quos Maro ex scriptis non modo Ennii, sed Lucilii quoque et aliorum minoris ingenii, Naevij, Furii, Suevii, transtulit [2]! Item Lucilii frusta non pauca in sermonibus Horatii agnoscuntur [3]; rursus autem Ovidius suis aliena saepissime commiscuit versusque integros identidem Catullo et Tibullo detraxit [4].

Cognatio igitur quaedam et rerum communitas inter poetas Romanos videtur iam ab initio fuisse, ut aliquem ex iis legentes etiam aliunde arcessita noscitare gauderent, eiusque non modo ingenium, sed memoriam etiam et scientiam admirarentur. Quodsi vel optimus quisque alienis opibus uti non dedignaretur, quid mirum esset idem minores audacius fecisse, ut, exempli gratia, qui opusculum *Copam* scripsit, ex Georgicis hoc, uno mutato verbo, hausit :

> Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae [5].

Iam vero nos ad propositum redeamus. Si ista nos fu-

1. A. G., I, 21, 7.
2. Macr., *S.* VI, 1, 37 et 5, 15.
3. Herwig, Halae, 1873. *Hor. quatenus recte de Lucilio iudicaverit.*
4. A. Zingerle, *Ovidius*, pars. I.
5. *Copa*, 27; *G.*, III, 328 :

> Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae.

Cf. *Copa*, 35, et *Aen.*, VI, 213 (cineri ingrato).

gerent, Cirin facile crederemus non talem ad nos pervenisse, qualis principio scripta esset, sed librarios versus Catulli Vergiliique quam plurimos inseruisse, ut videntur nonnumquam in Vergilii carminibus versus ipsius repetisse. Ut tamen id factum sit, utque possimus hunc aut illum alienorum versuum tollere, tam multi supersunt ut alia tam assiduae imitationis ratio reddenda sit.

Atenim mera est adulescentuli exercitatio, cui cordi fuerit quam plurimos magnorum poetarum pannos opusculo suo adsuere. At contra constat hoc epyllion hominis esse maturae aetatis maturique ingenii. Concludendum est igitur virum eum fuisse non totum deditum Musis, sed qui eas otii honestandi causa interdum coleret, quique, quamvis annis maturus, poetices, ut sapientiae, magistrorum praeceptis etiam tum egeret. Neque aliud praeterea fecit quam quod omnes eiusdem temporis scriptores; nobilissimos quosque imitatur, immo expilat, non modo decorandi sui operis, sed etiam sustinendi causa, neque magis per ambitionem quam propter inopiam. Cum autem liberius etiam quam ceteri ex hoc fonte hauserit, inde liquet eum et Vergilio natu minorem fuisse, et ipsum, quantum ingenio poetarum latinorum principe distaret, minime voluisse dissimulare.

Sed haec hactenus. Quod de nostri imitatione summatim exposuimus, id facile confirmabitur si singula ordine inspexerimus.

Versus enim qui toti in Cirin recepti sunt, plerique sunt ab Eclogis excerpti; unde apparet poetam, cum opus suum alienis ornamentis commendare vellet, ea potissimum carmina in legentium memoriam revocavisse quae suo tempore maxime placerent. « Cum

enim recitata Bucolica ingenti favore ab ipso poeta, tum in scaena per cantores crebro pronuntiata esse accepimus, eo quidem successu, ut quondam surrexisse universus populus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus esse narretur [1]. » Hoc in numero sunt quae sequuntur :

Caeruleis sua tecta super volitaverit alis.
(Cir., 51.)

Infelix sua tecta super volitaverit alis.
(Buc., VI, 81.)

Concordes stabili firmarunt numine Parcae.
(Cir., 125.)

Concordes stabili fatorum numine Parcae.
(Buc., IV, 47.)

Despue ter, virgo : numero deus impare gaudet.
(Cir., 373.)

Terque haec altaria circum
Effigiem duco : numero deus impare gaudet.
(Buc., VIII, 74.)

Cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum.
(Cir., 398.)

Cara Deum suboles, magnum Iovis incrementum.
(Buc., IV, 49.)

Dum queror et Divos, quanquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora;
(Cir., 405, et Buc., VIII, 19.)

ubi etiam integras sententias utriusque inter se omnino germanas animadvertes, cum Damon sidera, Scylla ventos invocet simili figura ; ille enim ita incipit :

Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum ;

1. O. Ribbeck, *De vita et scriptis P. Verg. Maronis*, XXIII.

haec autem :

> Supprimite, o paulum turbati flamina venti.

Item haec eadem in utroque reperimus :

> Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.
> (Cir., 430, et Buc., VIII, 41.)

At ea verba apud Vergilium ore pastoris suos amores narrantis simplicius et facilius fluunt, quam in Ciri, ubi aegre videntur praecedentibus cohaerere :

> Ten ego ? nec mirum vultu decepta puella,
> Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Adde hos Eclogae octavae continuos versus :

> Praeceps aerii specula de montis in undas
> Deferar ; extremum hoc munus morientis habeto [1].

Qui a nostro seiuncti sunt, ut si quis ex una fracta gemma duas efficiat :

> Extremum hoc munus morientis habeto.
> (Cir., 267.)
> Praeceps aerii specula de montis iisses.
> (Cir., 302.)

Sexti vero Aeneidos libri ex versu 406

> At ramum hunc (aperit ramum qui veste latebat),

ille natus est in Ciri :

> Aut ferro hoc (aperit ferrum quod veste latebat) [2].

1. *Buc.*, VIII, 59.
2. Ciris, 280.

Denique ex sexta Ecloga (v. 75-78) translati sunt mutato uno verbo tres versus :

Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
(Cir., 59-61.)

Hic ipse noster alieno ex fonte se hausisse profitetur cum dicit :

Complures illam et magni, Messalla, poetae...
Longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstro saxum infestare voraci
Illam esse aerumnis quam saepe legamus Ulyxi.

Huiusmodi vero locos duo invenimus, qui non ex Bucolicon libro proveniunt; nimirum ex Aeneide haec arcessita sunt :

Ad caelum infelix ardentia lumina tendens,
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas [1];

et in fine Ciris ad verbum transcripti sunt versus Georgicorum, quibus describuntur mutua avium odia :

Quacumque illa levem fugiens secat aethera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras
Illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.

Quomodo ambigi possit uter utri ea debuerit, cum apud alterum nequeant ullo modo recidi? Nisus enim et Scylla inducuntur signa dantes inter alias eiusdem gene-

1. Ciris, 402. Cf. *Aen.*, II, 405 :

Ad caelum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas

ris volucres, scilicet alcyones, noctuas, corvos et cornices. In Ciri contra aliis tantummodo verbis et alio colore repetitur, quod iam antea plane dictum est, ut optime superiore versu carmen claudi possit :

> Sic inter sese tristes haliaeetus iras
> Et ciris memori servant ad saecula fato.

Nec dubitari potest quin hic quoque noster opus suum versibus memoriae omnium infixis exornare voluerit. Alios Vergilii versus non integros admisit, sed ita mutatos ut facile saepius iudicetur uter eos sponte ediderit, uter sit imitatus. Legitur in Ciri, v. 208 :

> Excubias foribus studio iactabat inani.

Quanto simplicius et aptius in Eclogae secundae initio :

> Ibi haec incondita solus
> Montibus et silvis studio iactabat inani.

Item haec inter se componamus :

> Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus.
> (Cir., 233.)
>
> Et mutata suos requierunt flumina cursus.
> (Buc., VIII, 4.)
>
> Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset.
> (Cir., 279.)
>
> Si quis in adversum rapiat casusve deusve.
> (Aen., IX, 210.)
>
> Quis tantum Rutulis laudem casusne deusne
> Attulerit.
> (Aen., XII, 321.)

Ecquem fugit in versu « quo rapidos etiam, etc. »

verbo *rapidos* non tantam inesse vim quanta huic *mutata,* praeterquam quod hoc *etiam* oratio frustra impeditur ! Ecquis non sentit quam tardus et incompositus sit versus « Ante hunc conspectum » non modo propter litteram C quater usurpatam « hunC ConspeCtum Casusve », sed quod, tribus incipientibus spondeis, duplex in fine positus est amphibrachys ?

Narcissum casiamque herbas contundit olentes.
(Cir., 370.)

Allia serpyllumque herbas contundit olentes.
(Buc., II, 11.)

Terque novena ligans triplici diversa colore
Fila.
(Cir., 371.)

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo.
(Buc., VIII, 73.)

Alias particulas, eas quidem minores, in medium proferre licet, versuum plerumque fines vel initia, ut eadem verba in eodem loco posita facile arguant imitationem.

Dependent flores aut *suave rubens* narcissus.
(Cir., 96.)

Munera sunt lauri et *suave rubens* hyacinthus.
(Buc., III, 63.)

Iuppiter, ille *etiam poenos* domitare *leones*.
(Cir., 135.)

Poenos etiam ingemuisse *leones*.
(Buc., V, 27.)

Ut patris, a ! demens.
(Cir., 185.)

Quem fugis, a ! demens.
(Buc., II, 60.)

Omnia me potius *digna atque indigna* laborum.
(Cir., 247.)

Is primam ante aciem *digna atque indigna* relatu.
(Aen., IX, 594.)

Illa autem : Quid me, inquit, io nutricula, torques.
(Cir., 257.)

Ille autem : Quid me erepto.
(Aen., X, 877.)

Dicam equidem, quoniamque tibi non dicere, nutrix.
(Cir., 266.)

Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo.
(Aen., VI, 722.)

Omnia vicit amor; quid enim non vinceret ille?
(Cir., 437.)

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.
(Buc., X, 69.)

Quam frigida sunt et prope inepta haec « quid enim non vinceret ille », quae integro sensu recidas!

Quid quod versus 268

Ille (vides) nostris qui moenibus adsidet hostis,

sumpsit initium ex Aeneidos libro VI, 760

Ille (vides) pura iuvenis qui nititur hasta,

et finem ex libro XI, 304 :

Cogere concilium, cum muros adsidet hostis?

Singula vero verba, epitheta, figuras colligere longum est, quibus Vergilii imitatio in Ciri proditur; pauca tamen exempli gratia memorabimus. Nonne ex Maroniano horto florum haec serta confecta sunt :

Foribusque hyacinthi
Dependent flores aut suave rubens narcissus
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha,
Sparsaque liminibus floret rosa [1].

Nemo non intellegit illos versus :

Ipse *caput* tonsae *foliis ornatus olivae.*
Saevit inops animi *totam*que incensa *per urbem*
Bacchatur,

praesto fuisse hos componenti :

Pallentis *foliis caput* exornarat *olivae.*
Infelix virgo *tota bacchatur in urbe* [2]?

Quoties praeterea, ut vel minima animadvertamus, in Aeneide invenitur « auribus arrectis » quod in Ciri legitur [3]? Hoc vero « aera captat » quod in eodem est loco, ex illo Vergiliano ortum videtur :

Aut bucula caelum
Suspiciens patulis captavit naribus auras.

Nonne, quemadmodum in Ciri « gnosia spicula arcu Partho » contenduntur, ita eadem verba coniuncta sunt in Bucolicon libro :

Libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula [4]?

1. Ciris, 95. Cf. *Buc.*, II, 46, 50; III, 63.
2. Ciris, 148 et 167; *Georg.*, III, 21; *Aen.*, IV, 300.
3. *Aen.*, I, 152; II, 303; XII, 616; *Georg.*, I, 376; Ciris, 210 :

Auribus arrectis nocturna silentia temptat
Et pressis tenuem singultibus aera captat.

4. *Buc.*, X, 59; Ciris, 279.

Nonne inter insulas quas navi suspensa praeterit Scylla, quaedam fere iisdem vocabulis designantur atque in tertio Aeneidos libro?

> Marmoreamque Paron viridemque adlapsa Donysam.
> (Cir., 476.)
>
> Viridemque Donysam
> Olearum niveamque Paron;
> (Aen., III, 127.)

idque in loco ubi noster eandem itineris descriptionem sed pluribus verbis et maiore nominum numero oneratam effinxit; immo plus quam unum de insula Delo versum mutuatus est :

> Linquitur ante alias longe gratissima Delos
> Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
> (Cir., 473.)
>
> Sacra mari colitur medio gratissima tellus
> Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
> (Aen., III, 73.)

Plura iam huiusmodi exempla non quaerenda esse arbitramur; ex iis enim, quae obtulimus, iam concludere licet, Ciris auctorem non solum Vergilii versus in suum carmen aut hunc aut illum (quod quidem Romani poetae omnes factitabant), sed omnibus imitandi rationibus abusum esse, quibus adhuc in nostris scholis pueri, cum latine versus componerent. Hoc autem in ea re notabilius, quod non semel uno in loco plures quasi pannos alios aliunde ablatos consuit. Talia enim non pauca sunt : ita, ubi verba « poenos leones » ab Ecloga quinta cepisse videtur, nonne ibidem alios Georgicorum versus numero et adspectu effinxit?

..... *Ille etiam* Poenos domitare leones
Et validas doctus vires mansuescere tigres,
Ille etiam.....

(Cir., 135.)

..... *Ille etiam* caecos instare tumultus
Saepe monet fraudemque et operta tumescere bella
Ille etiam....

(Georg., I, 464.)

Tres etiam locos vel quattuor commiscuit; cum scriberet :

Dependent flores aut suave rubens narcissus
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha
Sparsaque liminibus floret rosa, nunc age, Divae,
Praecipue nostro nunc adspirate labori,

praeter eos, quos iam supra tertiae et secundae Bucolicorum Eclogae versus attulimus, et hoc Aeneidos secundi libri propositum habuit :

Adspirat primo fortuna labori [1].

Sic in tribus his Ciris versibus, quater Vergilii vestigia reperiuntur :

Dicam equidem (A., VI, 722) quoniamque tibi non dicere, nutrix,
Non sinis, extremum hoc munus morientis habeto (B., VIII, 60) :
Ille vides (A., VI, 760) nostris qui moenibus adsidet hostis (A., XI, 304).

(Cir., 266-268.)

Huc accedit quod alias una et Vergilium et Catullum secutus est, plumas avium duarum indutus graculus.

In his enim,

1. *Aen.*, II, 385.

Gaudete, o celeres, subnisae nubibus altis,
Quae mare, quae virides silvas lucosque sonantes
Incolitis, gaudete vagae blandaeque volucres,
Vosque adeo... . [1]

cum idem est color eademque figura, quibus Catullus in Epithalamio Pelei usus est [2], tum verba Vergilii « lucosque sonantes » agnoscimus.

Haec hactenus; non iam infitiari possis Cirin non modo post Catulli opera, sed etiam post edita in vulgus omnia Vergilii scriptam esse. Illud vero, quod utrumque pari studio aemulatus est, minime mirum videbitur, si tempore parum ab utroque distanti vixerit; nempe si fuerit Vergilii fere aequalis, ita etiam intellegetur quare potissimum Bucolicon librum imitatus sit, idque alia ratione atque cetera eiusdem carmina. Ita denique fieri potest ut apud eum nullum Ovidii imitationis vestigium deprehendatur. E contrario hic nostri carmen sane novit, atque etiam, ut acute animadvertit vir iudicio et doctrina singulari clarissimus, cum eo certare voluit, quandoquidem ea amplius explicaverit, quae in Ciri neglecta sunt, scilicet amoris Scyllae ortum, eiusque cum Minoe perfecto facinore congressum; alia vero ibi copiosius exposita aut omnino omiserit, ut nutricis deprecationem et in adiuvando fidem, aut vix adumbraverit, ut capilli erepti facinus et ipsam patris et filiae in aves transfigurationem : quam tamen potius ab eo enarrari par erat, qui in opere eodem tot eiusdem generis casus diligentissime effinxit [3].

1. Ciris, 195.

2. Heroes, salvete, Deum genus ! o bona mater,
Vos ego saepe meo, vos carmine compellabo,
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen, Peleu.
(Cat., LXIV, 23. Cf. Haupt, *Quaest. Catul.*)

3. Haec ab egregio viro Patin subtiliter esse disputata successor

Ceterum nihil in Ciri inest unde suspicemur eam compositam esse diu post mortuum Vergilium; nullos enim esse imitatus videtur, praeter eos, de quibus dictum est, nisi forsitan Vergilii aequales, cum hoc

> Prima *decus* quae *dulce* mihi te donat alumnam

Horatii Odes primae *dulce decus* in mentem revocet; rursusque hoc legenti :

> Naturae rerum magnis *intexere chartis*,

obviam fiat Tibulli versus :

> Nec tua te praeter *chartis intexere* quisquam
> Facta queat [1].

Alia praeterea Ciris initium initiumque Panegyrici Messallae habent similia [2]; et forsitan venena, a nutrice Scyllae decocta, ex officina quaesita sunt sagae, quae magicos cantus Tibullum docuit. Ut enim Scyllae Carme :

> Ter in gremium mecum, inquit, despue, virgo,
> Despue ter, virgo; numero Deus impare gaudet,

eius, E. Benoist, recenti lectione memoravit. Forsitan et conici potest Propertium Cirin legisse, ex eo quod, cum materiam similem tractaret, nempe Tarpeiae scelus, mentionem facit una et Catulli Ariadnae et Scyllae, quanquam, ut Vergilius, fabulas de Scylla duas in unum confundit :

> Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos
> Candidaque in saevos inguina versa canes.
> (Prop., V, 4, 39.)

1. Ciris, 39; Tib., IV, 1, 5.

2.
> Te, Messalla, canam, quanquam me cognita virtus
> Terret.............................. nec munera parva
> Respueris.
> (*Paneg. Mess.*, 1-8.)

ita quoque Deliae vates :

Ter cane, ter dictis despue carminibus [1].

Haud dubie igitur ex omnibus quae supra dicta sunt colligere licet carmen Ciris post Catulli et Vergilii aetatem scriptum esse et, perquam credibiliter, vivo adhuc Augusto, immo ante quam floreret Ovidius. Quae opinio confirmata erit, cum ea diligentius scrutati erimus quae ad linguam et ad rem metricam nostri pertinent. Nobis tamen de hoc inquirentibus valde desiderandum est, quod opus illud adeo tempore corruptum ad nos pervenit; nimium enim libri corrigendi fuerunt coniecturis, inter quas deligat quisque necesse est quas optimas iudicet. Nobis vero auctores erunt doctissimi viri Sillig, Haupt, Ladewig, O. Ribbeck, E. Benoist, Forbiger, A. Baehrens [2].

1. Ciris, 372; Tib., I, 2, 54.

2. Quoniam ii sunt manu scripti libri ut certe restitui nequeant multi versus, editorum, immo lectorum cuique licet quae ab aliis coniecta sunt excutere et commutare; ita novissime Aemilius Baehrens plurimos locos et ipse conatus est emendare, nonnullos quidem recte, nostra sententia, sed plerosque audacius quam felicius. Unum exempli gratia afferemus, quem tamen « plausuris omnibus » se correxisse confidit; scilicet versum 149 :

Cum lapsa e manibus fugit pila,

ita scripsit :

Cum vas (scil. sacerdotis) e manibus fudit pila.

Nos autem carmen, quale legendum potissimum nobis videtur esse, totum huic opusculo subiecimus.

IV

De linguae usu et re metrica in Ciri.

Si genus universum orationis et artem versus faciendi inspiciemus, facile agnoscemus Ciris auctorem et Vergilii tempore vixisse, et certis in rebus Catullum potius secutum esse. Vergilium quidem tanta licentia imitatus est, ut eius spoliis suum opus undique exornaverit, Catulli vero potius suco et sanguine imbutus est; ut videatur Vergilii, cum eadem fere lingua uteretur, fuisse aequalis, non, etsi plurima ei subripuerit, vere discipulus; non enim eius omnes eloquendi opes proprias sibi efficit neque in omnibus rebus similitudinem eius praebet.

Vocabula quidem fere nulla non illo tempore maxime usitata continet Ciris, nec quicquam habet seu vetustate seu novitate singulare. Prisca enim vocabula, nisi quae sunt etiam apud Vergilium Horatiumque, et illa quidem rarissima, invenias, ut « vexarier », nisi « texuis », in hoc versu cum pluribus recentiorum editorum admittas :

Polliceor : nihil est, quod texuis ordine, longum [1].

Neque ulla verba antiquo more composita, qualia tamen

1. Ciris, 339. O. Ribbeck, Ladewig, E. Benoist. Auctore A. Baehrens « texitur » praeferendum nobis videtur.

plurima sunt apud Catullum, reperias. Non multo frequentiores sunt novae verborum species; quidquid enim a Vergilii differt oratione aut illius temporis nota signatum est aut superiorum usu confirmatum. Ita verbum « mansuescere » iam transitive a Varrone usurpatum est [1]; verbo « obnixe » usus est Terentius; verbo « denubere » Ovidius et Livius. Cum infinitivo verbum « capto » apud Ovidium Phaedrumque, ut apud nostrum, notatur. Audacius in Ciri « glomerare » idem significat ac « nere » quod nusquam alias; et « nulla » vim eandem habere ac « non » in hoc versu videtur :

> Nulla colum novit, carum non respicit aurum [2].

Nihil vero mirum est nostrum dixisse :

> Dona meo multum *vigilata* labore,

cum iam Vergilius « Quae vigilanda viris », et Cinna :

> Haec tibi Arateis multum vigilata lucernis
> Carmina [3].

Quantum ad deminutiva, etsi videntur ab epicis carminibus abhorrere, vere se Catulli discipulum in hoc esse de-

1. Varron *R. R.*, 2, 1 : Silvestria deprehenderent ac concluderent et mansuescerent.

2. Cf. Cic. *ad Att.*, XV, 22. Ego autem scripsi Sextum adventare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret ab armisque *nullus* discederet (Madvig, *Gr. lat.*, 455, 5).

3. Ciris, 46. Verg., *Georg.*, I, 312. H. Cinna, fr. 3 (Ed. L. Mueller). Aliter Horatius, *S.*, I, 3, 17, noctes vigilabat, et Ovidius, *Fast.*, IV, 167, vigilata nocte. Hic, ut noster, dixit :

> Primus amans carmen vigilatum nocte negata
> Dicitur ad clausas concinuisse fores.
> (Fast., IV, 109.)
>
> Hoc pretium curae vigilatorumque laborum.
> (Tr., II, 11.)

clarat, quippe qui undecim haec exempla habeat talium non modo nominum, sed etiam adiectivorum, quorum id quod extremum ponimus ipse finxit : Hortulus 3, ocellos 238 et 257, nutricula 277, lectulus 440, labella 495, parvulus 138 et 479, frigidulus 251 et 348, tabidulam 181.

Ne graeca quidem vocabula admisit nisi quae apud antiquos aut eiusdem aetatis scriptores occurrunt, ut « sophia, psalterium, thallus, Piraeea »; sed, sicut omnes eiusdem temporis poetae sermonem patrium graeco ex fonte non pauca hauriendo ditavit : ita graecorum more « cicadae [1] » (τέττιγες) fibulas quibus capilli retinentur, designant; « nymphae [2] » puellas; « vires tigris » tigrim, ut Herculem σθένος Ἡρακλῆος [3]. Aliae etiam loquendi rationes eadem ex origine profectae sunt, ut :

> Quare *non* ulli fama concedere *digna*
> Stat Megara (οὐκ ἄξιος).
>
> (Cir., 104.)
>
> Saepe *redit* patrios *ascendere* perdita muros
> Aeriasque *facit causam* se visere turres.
>
> (Cir., 172, 173.)
>
> Quae prius in tenui steterat succincta crocota [4].
>
> (Cir., 252.)

Nonne etiam Graecorum morem redolet hoc « ut quid ego amens... diem potui producere vitae [5] »? Quibus exemplis et aliis eiusdem generis apparet linguam

1. Ciris, 128.
2. Ciris, 435.
3. Ciris, 136. Apol., I, 531. Cf. Vis canum (Lucr., VI, 1221; Virg., *Aen.*, IV, 132).
4. Ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα (Pind., *Isthm.*, VI, 54).
5. Ciris, 294; ita in omnibus codicibus; unus tamen A. Baehrens scripsit : A! quid amens. Cf. Plat., *Symp.*, p. 205, A : ἵνα τί ταῦτα λέγεις;

graecam Ciris auctorem, ut omnes Augusti tempore scriptores, coluisse et libentissime inde aliquid in romanam transtulisse; attamen facile intellegitur eum nondum omnibus usum esse opibus, quas Vergilius Horatiusque, graecorum vestigiis insistentes, sermonibus utriusque gentis quasi in unum sollertissime consociatis, posteris tradiderunt.

Alia quaedam omittere non licet, quibus a sermone Vergilii differt huius poetae sermo, nempe particularum usum. Observatum est nusquam habere illum « etsi », quod hic in primi versus initio legitur. « Cum » (quod alii etiam poetae rarissime faciunt, numquam Vergilius), iungitur hic cum plus quam perfecto coniunctivi :

> Ut cum caesa pio cecidisset victima ferro.
> (Cir., 366.)

Nec desunt alia huiusmodi, quae cum solutae orationi magis conveniant, Lucretium revocant in mentem.

Vergilius semper dixit « simul ut », noster « simul ac » :

> Quae simul ac venis hausit sitientibus ignem.
> (Cir., 163.)

« Ubi » hic imperfectum et plus quam perfectum patitur, quod vitat Vergilius :

> His ubi sollicitos animi relevaverat aestus.
> (Cir , 340.)

« Ut » vero temporale, quod a Vergilio frequenter usurpatur, hic semel legitur v. 340, loco illo ex Ecloga VIII, 41 subrepto :

> Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error [1].

1. Iacob *ad Prop.*, III, 15, p. 165.

Alius vir doctus animadvertit numquam Vergilium « ac » vel « atque » post aliud verbum transtulisse, etsi nonnumquam « et ». Hic autem legitur :

> Coniugis atque tuae, quaecumque erit illa, beatae.
> (Cir., 445)
>
> Promissa atque diu iam tandem exordia rebus [1].
> (Cir., 47.)

Ne multa, a prosa oratione non tantum distat in Ciri sermo, quantum in summorum illius temporis poetarum carminibus : vocabula quidem nonnulla ibi obversantur, quae frustra quaeras apud Vergilium ; idque non minus ieiunitatem prodit quam nimia imitatio et crebrior eorundem verborum usus, ut verbi « texere » cui quater occurritur intra centum primos versus, praeterquam quod infra etiam semel recursat [2].

Sed imprimis non perfecta illa structura scriptor utitur, qua sensus cum versu simul ita terminatur, ut legentis iudicium nihil iam exspectet, ipsa auris nihil desideret. Ambitus illos verborum maxime plenos

1. Nisi cum Ribbeckio legendum sit : « Promissaeque diu iam tandem exordia opellae », vel « musae » vel « curae » (Baehrens), aut « *promissisque* diu iam tandem exordia *rebus* », quod nusquam coniectum esse miramur.

2. Non tamen absistam coeptum *detexere* munus.
(Cir., 9.)

Sed magno *intexens*, si fas est dicere, peplo.
(Cir., 21.)

Naturae rerum magnis *intexere* chartis.
(Cir., 39.)

Atque novum aeterno *praetexite* honore volumen.
(Cir., 100.)

Nihil est quod *texitur* ordine longum.
(Cir., 339.)

et concinnos in carmine nostro aut numquam aut saltem raro invenimus, et illos quidem casu quodam allatos potius quam arte effectos. Elocutionem saepius tardant et impediunt interiectae sententiae, exclamationes, repetita verba aliaque huiusmodi. Etenim interiectiones numero sunt sex et viginti; quarum nonnullae plurium versuum; duae etiam notandae sunt in una oratione, qua versus quattuordecim comprehenduntur : quam nobis liceat referre, cum prope omnia, quae iam notavimus, vitia pariter exhibeat. His autem incipit :

Quod si mirificum genus omnes.....
(Mirificum saecli modo sit tibi velle libido) [1].

Ut ista omittantur, quoniam ita sunt corrupta ut recte legi nequeant, tamen superest sententia duodecim versuum :

Si me iam summas Sapientia panderet arces,
Quattuor antiquis heredibus addita consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere atque humiles possem contemnere curas;
Non ego te talem venerarer munere tali,
Non equidem (quamvis interdum ludere nobis
Et gracilem molli liceat pede claudere versum),
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castae solvuntur vota Minervae,
Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebruit Euro
Et prono gravidum provexit pondere currum.

Ea est orationis structura, ut sententia finiri possit cum versu 18, iterumque cum versu 20, nisi malis cum 23

1. Ita haec traduntur libris manu scriptis, neque satis nobis quicquam probatur eorum quae coniecerunt editores.

aut 24 aut 25. Tam laxe inter se iuxta collocantur versus ut quemque fere a sequenti interpungendi signo separare possis : quanquam, si singulos inspicies, verba ipsa concinne in quattuor saltem proximis collocata iudicabis. Quibus tamen hoc inest vitii, quod nimiam inter se habent similitudinem, quoniam in uno quoque eorum duobus nominibus substantivis in posteriore parte collocatis, ita in priore respondent duo adiectiva, ut quater verbum haec ab illis seiungat. Immo non pauciores quam duodecim coniunctiones usurpantur, scilicet « si, unde, quamvis, sed, cum », ut praetermittamus « que, et, qualis » et participia « debita, intexens ». Accedit quod in versu :

Non equidem, quamvis interdum ludere nobis,

praeter hanc frustra repetitam negationem, sex verborum unum tantum « ludere » proprium sensum per se habeat.

Versuum nunc artem intuentibus, sane illa apparebunt quae iam ex praecedentibus coniecimus. Ne quid de hoc dicamus, quod Ciris non, pro more superiorum poetarum, litteram habet in fine quorundam dactylorum sublatam, quanquam versus concinnos et verborum delectu ac compositione egregios saepenumero ibi legimus, tamen genus universum perfecta illa Vergilii et Ovidii arte plurimum distat. Praeter ea quae supra iam diximus de ratione versus inter se coniungendi et colligandi, ipse est versus saepissime gravior ac tardior, utpote nimio longarum syllabarum numero impeditus : triginta fere signavimus qui, praeter quintum pedem, ex spondeis tantum constant, id est unum ex vicenis : simili ratione usus est Catullus in Epithalamio Pelei.

Quod ad spondeos spectat in quinto pede positos, ut post Vergilium excepto Iuvenali rarissimi, ita satis crebri sunt in Catulli operibus et praesertim in Epithalamio, in quo adeo tres sunt continui spondiazontes. In Ciri quoque quattuordecim haec exempla praesto sunt :

Coniugium castae violaverat Amphitrites [1].
(V. 73.)

Ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus.
(V. 82.)

Dependent flores, aut suave rubens narcissus.
(V. 96.)

Carpathium fugiens et flumina Caeratea.
(V. 113.)

At levis ille Deus cui semper ad ulciscendum.
(V. 158.)

Ut scelere infando (quod ne sinat Adrastea).
(V. 239.)

Cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum.
(V. 398.)

Qua curvus terras amplectitur Hellespontus.
(V. 413.)

Dives curalio fragili et lacrymoso electro.
(V. 434.)

Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
(V. 474.)

Non statuit, nimium est avidum pecus Amphitrites.
(V. 486.)

Undique mutabant atque undique mutabantur.
(V. 495.)

Rupibus et scopulis et litoribus desertis.
(V. 519.)

Scorpius alternis clarum fugat Oriona;
(V. 535.)

1. *Castae* auctore Baehrens admittimus.

e quibus septem ubi nullum nomen proprium licentiam excusat, sex ubi, praeter spondeorum continuitatem, caesura est in quinto pede.

Syllabas vero licentia vel longiores vel breviores nullas effecit noster, nisi quas et Vergilius, ut cum hac synizesi utitur :

> *Reicere* et indomitam virtute retundere mentes [1].
> (Cir., 118.)

Vi autem caesurae producta syllaba (quod fit apud Vergilium fere quinquagies) in Ciri ter invenitur :

> Nullus in ore rubor : ubi enim rubor, obstat amori.
> (V. 180.)
>
> Miratur pater Oceanus et candida Tethys.
> (V. 392.)
>
> Infesti adposuit odium crudele parentis.
> (V. 532.)

Hiatus vero ex concursu vocalium, quae alias solent in unam confundi, nullus hic est, nisi in versibus ex Vergilio sumptis :

> Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.
> (V. 430.)
>
> Nereidum matri et Neptuno Aegaeo;
> (V. 475.)

et forsitan in hoc :

> Per te sacra precor per lumina Ilithyae [2],
> (V. 326.)

1. Tityre, pascentes a flumine reice capellas.
(Verg., *Buc.*, III, 96.)

2. Ita codices ferunt omnes; post lumina (aut flumina) addiderunt editores « qui » aut « et », aut « te ».

nisi legendum est potius :

Perdita, saeva precor per lumina te Ilithyae.

Iam in usu elisionum nihil fere inter se differunt noster et Vergilius. Vergilius enim « in primo Aeneidos cuius sunt versus DCCLVI, elisit longam vocalem octogies quinquies, in *m* exeuntium nonagies septies, brevem centies septuagesies ter [1] ». In Ciri, cuius sunt versus DXLXI, elisio fit semel et ducenties, longae vocalis semel et quadragies, longae cum brevi quater, v. 6 longe aliud, 56 longe alia, 241 quod si alio, 418 non equidem me alio [2].

Quod ad monosyllaba, satis multa sunt elisa, nulla tamen nisi quae ita etiam apud diligentissimos poetas reperiuntur, nempe « me, te, se, ne, si, tam, qui (singulari modo sit numero) » et forsitan « quae [3] ». Ceterum non pauci sunt versus elisionibus pluribus et quidem audacioribus asperiores; exempli gratia hos producimus, quorum alter tres praebet elisiones, alter extremam syllabam fere iambici verbi brevi sequens verbum incipiente elisam :

Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, Penates,
Hoc unum exitio docta atque experta monebo.
(Cir., 331, 332.)

Iam caesuras considerantibus apparebit nostrum medium quasi inter Catullum atque Vergilium fuisse. Constat poetas romanos alios ab aliis hoc differre, quod his magis, illis minus placuit caesurae usus, quae vocatur penthemimeris et post arsim tertii pedis incidit. Ita « Vergilius in Eclogis a prima ad quintam (habent me-

1. L. Mueller, *De re met.*, p. 282.
2. Cf. Hertzberg, *Praef. ad Cirin.*
3. Ciris, 257, 318, 418, 441, 326, 328, 216, 380, 301, 521, 6 longe aliud studium atque alios [quae] accincta labores.

tra CDXX) eandem optinuit plus trecenties vicies; idem alibi pro singulis incisionibus semiseptenariis in primo Georgicorum quaternas, in Aeneidos ternas habet semiquinarias [1] ». In Ciris autem DXLI versibus, fere triginta tres usurpantur caesurae post arsim quarti pedis cum alia minore post arsim secundi; non secus res se habet in Epithalamio Pelei, quod versus continet CDIX et circa viginti quinque huiusmodi caesuras habet. Multo propius igitur videtur noster in hoc Catullum sequi quam Vergilium. Ad haec, plures in Ciri sunt versus, Catulli quoque more, ubi caesura post tertium trochaeum incidit :

Cui Parcae tribuere | nec ullo vulnere laedi.
(V. 270.)

Spelaeum multoque | cruentas hospite cautes,
(V. 467.)

Effigies animantis | et internodia membris.
(V. 491.)

Unus etiam versus caesuram habet post arsim secundi pedis :

Tunc potius | conata tua atque incepta referto,
(V. 337.)

et alii aliter usitata norma abhorrent :

Prima rudimenta et primos exegimus annos
(V. 45.)

Incipit ad crebrosque insani pectoris ictus.
(V. 345.)

Iudicio patrisque et coniugis ante fuisset.
(V. 531.)

Vergilium autem scimus similes habere versus non ra-

1. L. Mueller, *De re met.*, p. 197.

rissimos quidem, non tamen aeque frequentes ac sunt apud Ciris auctorem pro numero totius operis versuum.

Aliud est etiam (ne minima omittamus) quo differre hic videtur a ceteris illius temporis scriptoribus; nempe apud eum saepius continua vel duo vel tria verba eadem littera aut iisdem litteris incipiunt. Dictas eas allitterationes constat apud priores auctores abundasse, permodice vero iis omnes a Catulli tempore usos esse; scilicet aut in formulis dictionum aut in cumulandis verbis sensus comparis sive consimilis aut per paronomasian[1]. Apud Vergilium autem magnus est numerus versuum ubi eadem littera incipiunt continua verba, et non semel apparet eum eiusmodi sonos libenter exquisivisse: apud ceteros contra multo pauciores sunt allitterationes, et fortuitas eas omnino esse facile intelleges. Apud nostrum vero tam crebrae sunt quam apud Lucretium et in carminibus quibusdam Catulli; accedit quod saepius eadem littera aliter repetita versus aliquot duriores effecti sunt; haec sunt huius generis exempla maxime notabilia:

Cecropius suaves exspirans hortulus auras.
(V. 3.)

Cum levis alterno zephyrus concrebruit Euro
Et prono gravidum provexit pondere currum.
(V. 25.)

Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo.
(V. 52.)

Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum.
(V. 76.)

Et cupidos quaestu passim popularet amantes.
(V. 78.)

1. L. Mueller, *De re met.*, p. 454.

Quare quae cantus meditanti mittere certos.
(V. 92.)

Candida concessos ascendat Ciris honores.
(V. 205.)

Quam te tam tristibus istis
Sordibus et senio patiar tabescere tali.
(V. 248.)

Questu Carme complorat.
(V. 285.)

Expertum multis miserae mihi rebus amorem.
(V. 325.)

Rursus ad inceptum sociam se adiungit alumnae
Purpureumque parat rursus tondere capillum.
(V. 381.)

Dignum autem hoc est quod notetur, multo pauciora esse eiusmodi exempli et prope nulla in posteriore carminis parte, ita ut in ea sui temporis morem secutus, in altera magis vetustiorum disciplina imbutus esse videatur. Centum enim versus quibus incipit Ciris, non pauciores habent eiusmodi allitterationes quam centum illi quibus Ennii fragmenta, nempe fere viginti quinque [1].

Ceterum non illud unum est quo inter se differunt prior pars poematis et posterior. In hac plures inseruntur Vergilii versus, in illa plura Catulli verba; in hac tantum reperiuntur locutiones communi sermoni repugnantes, et minus aspera omnino est oratio. Nihil tamen est cur credamus ab alio auctore scriptos esse novissimos versus; sed conici potest eundem illud poema incepisse adulescentem quod ipse his verbis videtur significare :

In quibus aevi
Prima rudimenta et primos exegimus annos,

1. I. Vahlen, *Ennianae poesis reliquiae.*

et postea quod iam composuisset retractavisse, finemque simul addidisse : inde suspicamur fieri ut in extremo carmine propius Vergilium sequi videatur; in priore parte magis veterum disciplinam retinuisse. Inde praeterea clarius interpretaremur hunc versum :

> Promissaeque diu iam tandem exordia musae ;

atque inde etiam (quod tamen paulo audacius nos conicere fatemur) nimia brevitas horum versuum, quos auctor ideo demum scripsisse videtur ut a priore parte ad posteriorem, tanquam ponte, transiret :

> Ergo iterum capiti Scylla est inimica paterno :
> Tum coma Sidonio florens deciditur ostro,
> Tum capitur Megara et divum responsa probantur,
> Tum suspensa novo ritu de navibus altis
> Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo [1].

1. Ciris, 386 sq.

V

Quatenus possit definiri Ciris auctoris persona

Non multo post annum DCCXXXV U.C. Cirin scriptam esse pro certo habemus, et alia ratione demonstrari potest inter hunc annum et DCCXL circiter in lucem esse editam. Carmen enim dedicatum est Messallae qui et « iuvenum doctissime » hic appellatur. Summus autem per quem hoc nomen innotuit orator natus, sicut videtur, anno DCLXXX, sive, ut alii volunt, DCLXC, sive etiam DCLXCV [1], iamque anno DCCXXIII consul in locum Antonii suffectus, non iuvenis vocari potest post Vergilii mortem. Duobus vero filiis Messallae Corvini ea vox convenit, quorum natu maior anno DCCLI consul fuit; qui ergo anno, quo vita defunctus est Vergilius, vigesimum quartum circiter annum agebat. Eodem tempore etiam Tibullus eum tanquam XV virum sacrorum celebravit [2]. Idem debellatis Illyricis, patria laude haud indignum se praestitit, quem Tacitus in Annalium libro tertio ita laudaverit : « Val. Messalla, cui parens

1. Fontaine, *De M. Val. Messalla Corvino*. Versaliis, 1878. Appendix, I.

2. Phoebe, fave; novus ingreditur tua templa sacerdos.
(Tib., *Eleg.*, II, 5.)

Messalla ineratque imago paternae facundiae [1] », quo quidem loco refertur oratio qua feliciter obstitit Ser. Caecinae censenti ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. Exstant et Ovidii litterae [2], quibus benevolentiam eius et amicitiam sibi poscit eumque precatur ut causam suam velit apud Augustum agere. Messallino propius fidem est dedicatam esse Cirin quam alteri illi Corvini filio, minori natu, M. Aurelio Cottae Maximo, qui magis familiariter Ovidium, quam frater, habuit [3].

Is quidem artem dicendi coluit et poeticen, sed insignior fuit gula, auctore Plinio [4]; idem accusatus et propter favorem Tiberii solutus, acerbe aestimatus est a Tacito, qui « saevissime cuiusque sententiae auctorem » eum refert, et nobilem quidem dicit, sed egentem, ob luxum per flagitia infamem [5]. Si igitur maiori filiorum Corvini carmen hoc est dedicatum, non multo post annum DCCXL exstiterit necesse est.

Auctorem ergo Ciris asseverare licet aequalem fere fuisse utriusque Messallarum, et utroque annis paulo superiorem; atque in praeclaro illo coetu poetarum vixisse, quorum fama simul in memoriam cum summi oratoris nomine solet revocari. Ubi autem melius nasci potuisset Ciris, quam in illa domo, eloquentiae simul Musarumque et amoris domicilio, in qua paterfamilias ipse non dedignatus est lingua graeca carmina componere,

1. Tac., *Ann.*, III, 34.
2. Ov., *Pont.*, I, 7; II, 2.
3. Ov., *Pont.*, I, 5; II, 3, 8; III, 2, 5; *Tr.*, IV, 5.
4. Pl., *H.*, IV, x, 27 : Sed (quod constat) Messallinus Cotta, Messallae oratoris filius, palmas pedum ex his (anseribus) torrere atque patinis cum gallinaceorum cristis condire repperit.
5. Tac., *Ann.*, VI, 5 et 7.

Qualia Trinacriae doctus amat iuvenis,

et illam heroida celebrare

Felicem ante alias tanto scriptore puellam [1] ?

Ibi sodalem habebat noster et studiorum aemulum Servium illum Sulpicium, Valeriae, quae Messallarum gentis erat, coniugem, cuius Horatius assensum tanti facit quanti Varii, Vergilii, Pollionis, Messallae et aliorum quos in decimo libri primi sermone una nominat; quem praeterea versiculos composuisse ex Ovidii et Plinii minoris constat testimonio, quorum uterque eum auctorem habuit carmina amatoria componendi [2].

Ibi quoque versabatur cum Sulpicia, Servi filia, cuius amorem Tibullus illustravit et versus ipsos servavit; cum Lygdamo cumque Tibullo omnium maximo, qui tanquam coryphaeus et magister totius erat chori. Ibi et alios vidit, scilicet Vergilii Mopsum, Aemilium Macrum, qui non modo plantarum naturam versibus exposuit, sed et ipse amavit, quod a Tibullo accepimus hoc carmine :

Castra Macer sequitur : tenero quid fiet amori [3] ?

et Valgium Rufum, Horatii amicum, qui etsi est « qui possit magnis se accingere rebus » et « aeterno pro-

1. Verg., *Catal.*, XI, 2.

2. Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi
Carmina.

(Ov., *Tr.*, II, 441.)

Pl., *Epl.*, V, 3. An ego verear, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum, A. Pollionem, M. Messallam, Q. Hortensium, M. Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Q. Scaevolam, Ser. Sulpicium, etc.

3. Tib., *El.*, II, 6.

pior non alter Homero [1] », tamen et elegos composuisse narratur [2]; Ovidium denique qui post Tibulli mortem in Messallarum amicitiam se receptum esse testatur [3].

Hi quidem fuerunt poetae nostri sodales et amici, sed ipse quis fuerit frustra quaeritur. Supervacaneum est eorum opinionem refellere qui Catullum illum fuisse aut Vergilium contenderunt : quae quam falsa sit, ex iis quae supra exposuimus, sane manifestum est. Sed aliquid dicendum eorum de opinione est qui Cirin Cornelio Gallo tribuerunt [4]. Qui quidem iudicant versus versuumque partes nostro et Vergilio communes hunc ab illo mutuatum esse. Atqui demonstratum est in Ciri imitationem planissime patere. Ut rem igitur adeo improbabilem reciperemus, gravissimae rationes essent producendae : quas videmus afferri nullas. Quid enim commune inter C. Galli gesta et quae de auctore Ciris ex ipso novimus? Hic iam maturus annis valedixit Musis ut philosophiam coleret; ille, anno DCLXXXV natus, praefectus fuit Aegypti anno DCCXXIV; Cirin ergo post hunc annum scripsisset. Bucolica autem, in quibus cum Ciri communes plurimos versus legimus, ante annum DCCXVIII scripta sunt. Quo pacto praeterea tantum ei tum fuisset otium ut philosophiae et litteris se traderet, cum vix regressus e provincia, accusatus sit « furtorum et populatae provinciae [5] » et stricto incubuerit ferro anno DCCXXVIII [6]?

1. Tib., IV, 1, 179.
2. Serv., *ad Ecl.*, 7, 22. *Aen.*, XI, 457.
3. Ov., *Tr.*, IV, 10, 51.
4. Vergilio Cirin vindicaverunt Scaliger, Barthius (1608); Io. Schrader; Catullo Eglinus, cuius Vindiciae Ciris Catullianae sunt (1606) ; C. Gallo Fontaninus in *Historia litteraria;* I. H. Voss (Altona, 1797-1830); Heyne; Sillig.
5. Amm. Marc., XVII, 4, 5.
6. Dion, LIII, 23.

Quomodo denique iuvenem appellavisset Messallam prope sibi aequalem, et tanta necessitudine cum eo coniunctus esset, ut poema tamdiu pollinceretur dicaretque Messallae, postquam alter obscurus fuit in partibus Octavianis, alter Antonii partibus clarissimus?

Quidquid ad nos de Gallo pervenit, cum hac repugnat opinione; nihil vero magis quam ipsa eius fama et iudicium aequalium. Quid? poema cuius virtutibus tot et tanta vitia officiunt, viri esset et illius quidem maturi, quem laudavit Vergilius, non modo in sexta et decima Ecloga, sed etiam in Georgicis, ita ut quartus liber a medio usque ad finem eius laudes primum amplexus sit, quas postea iubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit [1]? Ciris esset poetae in eodem fere gradu collocati ac Catullus? de quo dixit Ovidius :

> Quis potuit lecto durus discedere Gallo [2]?

quem idem finxit cum Calvo et Catullo in Elysia valle obviam venientem Tibullo [3]? quem Martialis inter Propertium Tibullumque Catullumque nominat, etsi durior videtur Quintiliano [4]?

Quomodo Vergilius in omnibus suis operibus tale carmen imitari potuisset? Ut id fecerit, quomodo res tam singularis et, verbi gratia dicam, propemodo prodigiosa, non tradita esset a grammaticis aliisque qui tot et tam varia de Marone et prope singulis eius versibus notaverunt? Ceterum si Gallus Cirin scripsisset, id accepissemus profecto aut ex iis quos nuper diximus, aut ex Propertio

1. Serv., *ad Ecl.*, X, 1.
2. Ov., *Rem. Am.*, 765.
3. Ov., *Am.*, III, 9, 63.
4. Mart., *Epig.*, VIII, 78, 5. Quint., X, 1.

qui Galli carminis mentionem fecit nullius nisi Lycoridis, aut saltem ex Servio qui tantum Euphorionem et Lycorida protulit? Gallum igitur Ciris auctorem esse nulla alia re inducti sunt ut opinarentur, nisi quod prave partem Eclogae sextae interpretati sunt.

Hanc Eclogam Alfeno Varo, cui iam antea promiserat carmen, Vergilius dicavit; cum autem Gallus una cum Varo post Perusinum bellum triumvir agris dividundis fuisset et iam tum litteris floreret, minime mirum est Galli laudes in eodem opere Vari laudibus adiunctas esse et scripta eius potissimum praedicata. Quod sic effecit : Silenus Chromi Mnasyloque pastoribus et Eglae Naiadi varia canit, mundi initium, priscas Pyrrhae, Promethei, Hylaeque fabulas; quibus addit Pasiphaen, Atalantam, sororesque Phaetontis ;

> Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum
> Aonas in montes ut duxerit una sororum,
> Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis,

et Linum refert Gallo calamos obtulisse Hesiodi, eique suasisse ut Grynaei nemoris diceret originem [1].

Hinc ita pergit Vergilius :

> Quid loquor aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
> Candida succinctam latrantibus inguina monstris
> Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
> A, timidos nautas canibus lacerasse marinis,
> Aut ut mutatos Terei narraverit artus, etc.

Itaque sane significat fabulas quas Silenus memorat postquam Gallum admissum in Musarum chorum retulit. Quid est tamen cur credatur carminibus Galli de Scylla

1. Verg., *Buc.*, VI, 64-74.

et de Tereo Maronem allusisse? Quia scilicet Grynaei nemus sequuntur? Sed hos versus canit Linus, illos Silenum cecinisse ipse narrat poeta; quid igitur a recta ratione et simplicitate magis alienum sit, quam si, ut quibusdam placet, laudem a Lino inceptam Silenus excipiat?

Praeterea, ne quid in hoc immorer quod Gallus tum natus ad viginti octo annos, auctor Ciris esse non potuit, quem pateat natu grandiorem fuisse, Scylla, quam canit Silenus, non puella est in avem, sed in piscem mutata. Hanc vero noster ultro profitetur non suam esse :

> Complures illam et magni, Messalla, poetae
> (Nam verum fateamur; amat Polyhymnia verum)
> Longe alia perhibent mutatam membra figura
> Scyllaeum monstro saxum infestare voraci, etc. [1].

Vergilio quidem, ut aliis, licebat in piscem filiam Nisi mutare; sed illud nequaquam iis fecisset versibus, ubi poema laudavisset, quo ineunte tam expresse a filia Phorci Nisi filia distinguitur.

Cum igitur non magis Cornelius Gallus quam Catullus aut Maro Cirin scripserit, quis fuisse eius carminis auctor putandus est? Vir doctissimus nuper fieri posse arbitratus est ut a poeta illo conditum sit quem Propertius Lyncea nominat [2]. Nobis vero, quin hanc opinionem recipiamus, obstat quod non satis congruere videntur quae de nostro novimus cum iis quae nos de Lynceo Propertius docet. Sane quidem propter temporum rationem non negamus Lyncea potuisse aliquid scribere paulo post Vergilii mortem, cum natu maior videatur fuisse Pro-

1. Ciris, 54.
2. W. Teuffel, *Gesch. de Roem. Litt.*, 244, 3.

pertio [1] quem circa annum DCC natum esse constat. Is quoque, ut noster, sapientiam coluit et libris Socraticis Lucretiique studuit operibus, et carmina composuit. Sed Lynceus videtur vitam omnem in philosophia et severis carminibus epici et tragici generis consumpsisse; denique amorem serius expertus est. Contra ea, noster provecta iam aetate philosophiam adiit, neque, ut apparet ex ipso opere, rudis fuit amorum, neque eum quidem amicus iussisset satius Philetam imitari

Et non inflati somnia Callimachi.

Ipse enim nos docet iamdudum hoc genus se tractavisse, nempe lusisse interdum et « gracilem molli pede clausisse versum » [2]. Ad haec, is quo adeo familiariter usus est Propertius, profecto pari fuit fortuna et dignitate, nec prorsus fuit idem qui honores fastidiebat et Messallam « iuvenum doctissime » appellabat.

Ergo concludemus neminem ex iis qui quis fuerit auctor Ciris quaesiverunt, quicquam profecisse; neque aliud confirmari posse, nisi quae diximus : scilicet illum Vergilio paulo minorem circa annum DCC natum, non humili fortuna, iam adulescentem in Messallae coetu Musis studuisse; postea, omissis rebus publicis, philosophiam et Epicuri doctrinam coluisse; postremo Cirin non ita diu

1. Prop., II, 34 (III, 32), 25 :

Lynceus ipse meus seros insanit amores.

2. Non equidem, quamvis interdum ludere nobis
Et gracilem molli liceat pede claudere versum.
(Cir., 19.)

Haec tamen interea quae possumus et quibus aevi
Prima rudimenta et primos exegimus annos.
(Cir., 44.)

post Vergilii mortem edidisse. Cum igitur nihil aliud de nomine et vita eius certum ac compertum haberi possit, nunc quale fuerit eius ingenium, et quem locum Ciris inter carmina illius aetatis obtineat, iudicemus.

VI

Quali fuerit ingenio et quem locum auctor Ciris inter poetas latinos obtineat.

Huius carminis si quis argumentum ipsum rerumque inventionem ac dispositionem et eloquendi genus considerabit, temporis, quo vixit auctor, et hominum, quibuscum studiorum societate coniunctus est, quasi veram imaginem intuebitur. Ciris enim eius generis est, quod tum maxime Romae vigebat; namque poemata quibus Alexandrini poetae simul scientiam pristinarum fabularum et suam versus faciendi subtilitatem ostentaverunt, iampridem in Urbem translata erant : Varro Atacinus « interpres operis alieni » Argonautica fecerat, Helvius Cinna epyllion Smyrnae, Licinius Calvus Io, Catullus ipse carmen de Peleo et Thetide. Epici poetae, qui Alexandriae tertio et secundo ante Christum saeculo floruerunt, doctrina et arte maxime sua opera commendare conati erant; ut fabulas minus notas et abstrusiores requirebant de gestis deorum et heroum, ita, philosophorum et tragicorum instar, subtilius animorum affectus describere solebant; praeterea versibus uti politioribus , et iratorum aut dolentium verba inserere factorum narrationi, ita ut in unum epos et elegia tanquam confundi viderentur. Illos imitati latini scriptores nunc

elegis epicas fabulas commiscebant, ut Catullus in Elegia ad Manlium « Quod mihi fortuna... » Laodamiae amores cecinit; ut C. Gallo Parthenius historias collegit, quibus ille carmina sua exornaret; ut Tibullus ipse Sibyllam cum Aenea in Elegiam « Phoebe fave » ad Messallinum admisit; quod non semel et Propertius fecit [1] et in Tristibus Ovidius : nunc elegorum opibus utebantur qui epica pangebant carmina; ut idem in Metamorphoseon libris Ovidius, ut antea Catullus in epyllio quod memoravimus, ut noster denique in Ciri.

Hic enim vere Alexandrinorum discipulus cum aliis rebus invenitur tum scientia sive veterum fabularum, sive locorum et regionum. His enim opibus utendi nullam fere omittit occasionem; iis etiam non semper ita utitur, ut nihil videatur dicere quod non ad propositum spectet, nihil per ambitionem nimiamque doctrinae suae ostentandae cupidine. Unum, exempli gratia, locum inspiciamus, ubi urbem Megaram describit. Quid enim haec ad rem :

Candida Thesei
Purpureis late ridentia littora?

quid hoc contulit :

Megara Alcathoi quondam munita labore
Alcathoi Phoebique; deus namque adfuit illi?

Nonne praeterea verborum ipsa ieiunitate et orationis quadam asperitate significatur quanto summis poetis noster inferior sit? Quin etiam haec addit quae quid prosint non facile intellegitur :

Unde etiam citharae voces imitatus acutas

1. Prop., I, 20; III, 15.

Saepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus
Et veterem sonitu Phoebi testatur honorem.

Ovidium dixeris illud initium corrigere voluisse, cum ita simplici cum brevitate incipit :

Interea Minos Lelegeia litora vastat
Praetemptatque sui vires Mavortis in arce
Alcathoi, quam Nisus habet.

Hic quoque saxum memorat canorum : sed quam sollerti arte illa videntur miracula vero argumento coniuncta et quasi intexta, cum haec sequantur :

Saepe illuc solita est ascendere filia Nisi
Et petere exiguis resonantia saxa lapillis
Tum cum pax esset; bello quoque saepe solebat
Spectare ex illa rigidi certamina Martis.

His atque aliis similibus quibus exornatum aut potius oneratum est carmen, facile iudicatur quibus noster praecipue magistris usus sit.

Eundem vero, cum summa cura nititur sensus doloremque virginis exprimere, agnoscimus dignum fuisse qui in domo Messallarum, sede illa ac domicilio Elegiae, cum Tibullo, Lygdamo, Sulpicia, amores suspiraret. Unde enim potius hausisset acutam illam in pingendis animi affectibus subtilitatem ?

Graecos autem latinosque poetas, quos sequitur, eo verius exprimit quod paucissima effert de suo. Materiem ipsam ex Parthenio et forsitan aliis, ordinem et totius operis structuram ex Catullo, sententias et verba ex Catullo Vergilioque plurima subripuit. Num

1. Ciris, 107-109.

proprium aliquid alieno addidit, et aliena commenta rebus auxit a se ipso excogitatis? Forsitan causam ipse finxit, unde ortum esse refert Scyllae parricidium, scilicet violatam ab inscia Iunonis sedem : quae causa alioqui non recte inventa est, quoniam ludus puerilis non videtur poenam tam atrocem mereri. Forsitan etiam Moschi vestigia sequi voluit, qui antequam raptam a Iove narravit Europen, ludentem eam cum aequalibus depinxit [1]. Quanto melius fuit amorem puellae describere, quomodo natus sit, quomodo creverit sensim et totum animum occupaverit (quod in Ariadna fecit Catullus, Ovidius in Scylla), quam miserae puellae ignem pectori Deae iussu ac numine afflatum et statim adultum violenterque gliscentem ostendere! Quin adducimur ut credamus peccavisse eum nimia cupidine operis fabula aut nova aut minus vulgata decorandi.

Inde gravissima nata sunt carminis vitia. Dum enim nota vitat et rariora affectat, nunc copiosior est, nunc ieiunus, ut iustum illum ordinem frustra requiras, quo nulla in parte operis desit quicquam, aut redundet. Optimorum est scriptorum, quamcumque materiam tractant, ita quidquid necesse est, copiose exprimere, cetera vel omittere vel paucis perstringere, ut legentis animus nihil umquam fastidiat nec desideret. Eadem haec est virtus Bucolicon et Aeneidos. Qui autem minores sunt ingenio et arte, semet ipsos nequeunt rectis continere finibus, sed trahi ultra solent ambitione, cumque tritas vias fugiunt, libidinem potius quam rationem sequuntur in operis partibus ordinandis. Quae non effugit Ciris auctor : prope quinta pars carminis prooemio tene-

1. Moschus, *Europe,* 28-37 (Ed. Gaisford), *Poetae minores*, t. IV p. 254).

tur, cum versibus quadraginta septem, interposita Minervae pepli descriptione, Messallae libellum suum dedicaverit; pluribus etiam versibus de fabulis disputaverit circa Scyllam traditis et Musas postremo invocaverit. Tum diligentius describit adspectum situmque Megarae, et postquam memoravit initia belli diligentiamque, qua Nisus aureum capillum tuetur, longius enarrat ludentem pila virginem iramque Iunonis Cupidini vindictae curam permittentis. At frustra quaerimus quomodo primum Minoa Scylla amaverit, et eo desperationis adducta sit ut scelus atrocissimum conciperet. Deinde refert poeta quo pacto facinus perficere tentaverit, consiliumque intercedente Carme nutrice distulerit et venena experta sit : quod sane non excogitavisset, nisi proposita habuisset Vergilii ac Tibulli exempla. Patrato autem parricidio, quo vultu, quibus verbis Minoa adeat, et quomodo is feminam recipiat quae sua gratia tantum scelus admiserit, id frustra exspectatur : quid tamen aptius erat ad commovendos legentium animos ? Quae secuta sunt ereptum Nisi capillum vix, ut res omnibus notae, memorantur, et continuo Scyllam cernimus, navi Minois alligatam, longa oratione casum suum deplorantem, mariaque et insulas perlustrantem, quae singulae nominatim percensentur. Haec postquam frigide descripta sunt, duplex filiae patrisque copiose narratur transfiguratio. Ecquis non sentit illa laude carmen hoc carere, quam ante omnia in operibus maximi cuiusque ingenii admiramur, ubi non sese exhibent partes ad arbitrium scriptoris aut tanquam casu iuxta positae, sed membra paria et certa ratione cohaerentia unde unum vivumque corpus efficiatur.

Ceterum Alexandrini non alia re magis excellebant quam singulari in rebus disponendis artificio; apud eos enim non iam paulatim aequali quodam tenore secun-

dum naturam fabula progreditur, sed iuxta collocari dicas tabulas ita pictas, ut in singulis aliquid emineat conspicui, quod oculos et novitate et splendore praestringat. Haec est magnorum, velut Apollonii, carminum; eadem est minimorum ratio, quantum ex eo Moschi quod superest epyllio licet iudicare. Ille enim picturas picturis continuat : primum Europes dormientis somnium describit, deinde in litore lascivientes puellas; tum, postquam triginta versibus depinxit virginis aureum fiscum, ordine numerat flores quos in prato legunt; sequuntur prorsus tauri effigies, Nereidesque cum Neptuno Tritonibusque vectam per undas Europen contemplantes, et insidens tauro puella atque altera manu tenens cornu, altera vestem purpuream sublevans, dum peplus veli instar super humeros sinuatur [1]. Idem etiam arte quadam picturas eo disponit ordine ut quaeque prope similem aliam vel contrariam posita ipsa clariore quasi lumine illustretur; ut a Moscho copiose describitur in aureo fisco Io sub specie iuvencae pontum transgrediens Nilique orae appulsa. Simili artificio Catullus, cum tranquillos Pelei amores canit et gaudia quibus exsultant eius aedes, inter laetantes deos hominesque, dum pulvinaris miracula enarrat, Ariadnam, vehementissimi doloris et acerrimae cupidinis vivam imaginem, ita inducit, ut vix quae sit carminis pars praecipua, quae accesserit ornandi causa discernas.

Noster vero eodem componendi genere, minore tamen cum arte et ingenio usus est, quippe qui seriem etiam picturarum oculis subiciat. Adeo hanc laudem tantum quaerere videtur, qua industria singula pingantur, ut non dubitaverit secuturos eventus non semel ab initio praenun-

1. Mosch., *Eur.*, 1-15; 28-37; 37-63; 63-71; 76-88; 115-130.

tiare. Ut Catullus pulvinar, ita Minervae peplum, quod minime tamen ad rem congruebat, descripsit. Ut cum Europes casu simile quoddam commentum (quod supra monstravimus) Moschus coniunxerat, ita hic cum Scyllae amoribus Britomartis amores componuntur. Utinam artificium illud ingeniosum quidem non nimia scientiae iactatione corrumperetur aut nimia concinnitate, ut Scyllae cum nutrice sermo quasi in plures divisus sit orationes, quarum altera alteram versuum numero aequare et tanquam compensare videatur.

Illa sunt huius carminis vitia quae ad res inveniendas disponendasque spectant; quae ad eloquendi et versificandi rationem, pleraque supra notavimus. Saepius, ut diximus, legentem offendunt « sermoni propiora » [1], et imprimis verborum ambitus ii fiunt, ut et versibus noceant et ipsis obstet versuum compositio, nedum quasi consensu et mutua ope adiuventur. Attamen laudanda non pauca sunt. Opus enim, quamvis durius plerumque et asperius sit, habet sententias interdum nunc acumine nunc nervis conspicuas, neque venusta aliquando in verbis eligendis conformandisque novitate caret, in hoc praesertim reprehendendum, quod saepius auctor ipse sibi impar est et optima quaeque rebus minus bonis inquinat. Vividas etiam imagines nonnullas fingit, et praesertim in exprimendis animi motibus subtilitate singulari praestat. Iucundas excogitat comparationes, ut in hoc loco ubi Scyllam monstrat incertis iactatam ventis,

1. Hertzberg exempli gratia versus notavit 89-90 :

> Quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
> Mnemosyne, potius liceat notescere Cirin ;

alium nos supra, « non equidem quamvis interdum ludere nobis. » Vide p. 42.

Cymba velut magnas sequitur cum parvula classes;

quod forsitan meminit Plinius minor, cum lacus Vadimonis insulas describens, dicit « Saepe minores maioribus, velut cymbulae onerariis, adhaerescere » [1]; aut in illo ubi sensim incertis adhuc partibus transmutari coepit puella,

..... Velut in niveo, tenera est cum primitus, ovo
Effigies animantis et internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore;

et omnis ex ordine transmutatio versibus exponitur qui cum Ovidii similibus locis non immerito conferantur. Is vero pulchrior etiam locus quo primum Scylla dormientem patrem deprehendere conatur : hos versus Vergilio aut Catullo non indignos iudicares, si non multa Vergilio et Catullo fuissent sublata,

Iamque adeo dulci devinctus lumina somno [2], etc.

Sed nihil nostro tam bene successit quam cum nutricem induxit, confectam curis, miseramque alumnam refoventem et, postquam nefandum inceptum audiverit, suadentem ut scelere absistat aliasque vias experiatur : verum amorem doloremque verum prae se fert, cum praesente casu luctus natae per eundem Minoa amissae in animo eius renovatur. Haec legentibus occurrit Myrrhae nutrix; sed hic sobria inest simplicitas cum sententiarum gravitate coniuncta, qua facile superatur Ovidius.

Ovidium etiam in verbis, quibus Scylla calamitatem suam et Minois crudelitatem queritur, quis aemulo ce-

1. Pl. Iun., *Epl.*, VIII, 20.
2. Ciris 206-215.

dere negabit? Initium quidem, ubi appellat ventos Deosque et aves, ad rhetorum declamationes accedit, arte tamen et splendore figurarum non contemnendum; sed reliqua oratione proditur adeo ardens et furiosus amor ut intellegamus quomodo puella, pietate et humanitate omni omissa, tantum facinus obire sustinuerit. Scelus se infandum admisisse confitetur, sed quod unus Minos reprehendere non debuit : eum enim unice amavit, eius gratia omnia amisit, ab eo nihil poscit nisi ut eum sibi liceat videre, et saltem eius uxori servire. Quanto frigidius apud Ovidium puella artificiosa oratione Minoa vociferatur non matre Europa dignum esse, sed coniuge Pasiphae, neque ullo sensu praeter iram et odium se commotam declarat! Haud dubie hoc loco nostra Scylla Scyllam vincit Ovidii, et Catulli potius Ariadnae proxima fit, non longo proxima intervallo.

Haec et alia composuisse Ciris auctorem, quibus legentes vehementer commoveantur, quid mirum cum ipse, tenero et molli animo praeditus, aerumna suae Scyllae affici videatur, ut ex his apparet, quae narratis rebus intermiscuit :

> Infelix virgo! quid enim commiserat illa!
> (V. 71.)
>
> Quod uti ne prodita ludo
> Auratam gracili solvisses corpore pallam!
> (V. 150.)
>
> Sive illa ignorans (quis non bonus omnia malit
> Credere quam tanti sceleris damnare puellam?)
> (V. 188.)

Illud quoque in eo nos delectat, quod identidem, etsi fere totum opus constat ex imitatione, naturam rerum conatur exprimere et carminibus ornandi causa res inserere, quas ipse vidit et observavit; ut cum Minervae pe-

plum, quamvis sit proposito alienus, cum similitudinis gratia cymbam magnas naves sequentem et in ovo nascens animal, aut cum ambarum avium mutuas iras hac comparatione depingit :

> Namque uti in aetherio signorum lumine praestans
> Unum quem duplici stellarum sidere vidi,
> Scorpius alternis clarum fugat Oriona.

Non modo eum Lucretii vestigiis institisse apparet in rebus observandis, quae sensibus subiectae sunt, sed, ut philosophum decet, mores hominum penitus perspexisse ut veras factorum causas perscrutaretur, quanquam in hoc saepius exquisitior deprehenditur subtilitas. Ita rationem reddit quare Amphitrite

> Tale decus formae vexarier ultra

non tulerit, et contempta piscium figura,

> Aeriis potius sublimem *sustulerit* alis [1].

Ita quoque explicat quam iusta commiseratione Iuppiter

> Commotus talem ad superos volitare puellam,
> Dum pater exstinctus caeca sub nocte lateret,
> Illi, pro pietate sua (nam saepe nitentum
> Sanguine taurorum supplex resperserat aras,
> Saepe Deum largo decorarat munere sedes)
> *Reddiderit* optatam mutato corpore vitam [2].

Ita porro, cum Carme « ad inceptum sociam se adiungit alumnae », secretos eius affectus acutissime poeta odoratus hoc addit :

1. Ciris, 481 sq.
2. Ciris, 522 sq.

Non minus illa tamen revehi quod moenia Cressa
Gaudeat : et cineri patria est iucunda sepulto [1].

Ut breviter complectamur quae de nostri ingenio atque indole iudicanda sunt, homo erat aetate iam progressus, iudicio sanus, maturus animo, vitae usu et doctrina confirmatus, ornatus litteris, subtilior factus hominum sui temporis elegantissimorum conversatione, denique si minus magno ingenio praeditus, at certe non contemnendis virtutibus, ut vitia, quae notavimus, non obstent quin gradum aliquem obtineat inter aequales poetas. Opus quidem non summis illis adaequandum effecit, quae raro exstiterunt, sed locum non humilem habet inter viros illos qui, cum ipsum in penetrale non admissi sint, stantes in vestibulo Musas coluerunt, quorumque tam multa apud veteres nomina invenimus. Huius autem generis scripta, inter quae Culex et Ciris numerantur, insigni nos docent exemplo quis fuerit cultus, qualis sermo, quales litterae illius aetatis, ubi nihil hoc perfectius gignere potuisset ingenii mediocritas. Vergilius tantum ille et Horatius maiorem assequi laudem poterant; itaque, praeterquam quod non nullius est pretii per se ipsam Ciris, nulla alia re, quam huiusmodi operum comparatione, melius iudicari possit et quanto ceteris excellant principes illi poetarum et quanta auctoritate valuerint.

Scilicet ea fuit eorum et maxime Vergilii admiratio, id studium poetices, ut eorum exemplo excitati complures in dies varia carmina scribere auderent. Hominum enim qui versus fecerunt numerus initio parvus fuerat; pauca sunt nomina eorum etiam qui una cum Catullo Calvoque memorantur; non iam ita se res habuit Augusti tempore; tunc mirum in modum aucta est poetarum

1. Ciris, 384 sq.

multitudo; quamobrem id evenerit neminem latet: cum cultiores humanioresque facti sunt Romani, poematia quae Catullus aliique induxerant, quilibet unus propter ipsam exiguitatem facile se confidebat imitaturum; in scholis praeterea non modo praelegebantur opera novorum poetarum, cuius moris auctor fuisse narratur Q. Caecilius Epirota [1]; sed profecto ipsi exercebantur discipuli in fingendis versibus, ut non pauci postea, dum scholarum exercitationes renovabant, vere se poetas esse existimarent, suaque carmina seu recitationibus sive opera librariorum vulgarent. Eodem enim tempore constat vigere coepisse librorum commercium, et maxime floruisse recitationes illas, quibus nullus acrior fuit versus componendi stimulus. Accedit quod oppressa cum libertate eloquentia humanissimus quisque litterarum generi, quod tutissime coleretur, se libentius dedebat: quae studia non parum confirmabantur principum procerumque non modo favore, sed etiam exemplo et aemulatione. Quid mirum igitur si ad nos tam multa pervenerunt nomina eorum, quorum turba densissima Catullum Vergiliumve sectabatur, si tantum, ut ait Plinius, proventum poetarum quisque annus afferebat?

Itaque facile intellegitur quomodo falso magnis poetis adscribi potuerint carmina, cum auctores ipsi nominibus praeclaris sua opera aut per ambitionem aut per iocum quemdam commendarent, bibliopolae pariter libris, quos venales habebant, pretium adderent. Inde evenit ut iam a Neronis tempore optimo cuique tribuerentur aliena; sic Horatii operibus intermixta sunt vel carmina vel carminum partes, de quibus nostra memoria

1. Suet., *Gram.*, 16. Cf. Hor., *S.* I, 10, 80-84; Pers., *S.* I, 29; Stat., *Theb.*, XII, 810; Mart., I, 35.

tam cupide disputari coeptum est; sic Tibullo assignatae sunt Lygdami Elegiae; sic Vergilio Culex, Aetna, Ciris totque alia, quorum corpus usque in finem medii aevi auctum adeo et amplificatum est. Certum est enim Vergilii iuvenalis ludi libellum, aut saltem partem eius, non modo a Diomede et Phoca grammaticis, sed etiam a Statio et Martiali, immo a Lucano cognitam fuisse [1]; neque apud scriptores qui praecesserunt ullam illius libelli exstare mentionem. « Unde non temere conicias, dixit vir doctus cui plane in hoc assentimur [2], imperante Claudio haec opuscula in lucem esse emissa, et emissa quidem (mortuo puto Messallino) ex chartis in Messallarum domo inventis... Addidit autem, quisquis fuit qui septem hos libellos sub Vergilii nomine in unum collegit, in fine epigramma illud *Vate Syracosio* [3]. Quo cum aperte indicatum sit haberi in libro vatis Mantuani prima elementa rudemque adhuc Musam, quid mirum est si has praelusiones statim (ut Lucani exemplum docet) omnes Romani creduli acceperunt, et nominis Vergiliani amore occaecati et poetae adulescentiae aliquid condonandum rati? Quin ipsi litterarum arbitri severi quod, nisi de hac illave particula (ut Suetonius de Aetna [4]), non iniecerunt dubitationem, hinc explicatur ».

1. Diom., p. 512 (Ed. K). Phocas, *Vita Verg. metrica*, v. 84. Mart., VIII, 56, 19; XIV, 185. Stat., *Prooemium*, lib. I. Id. *Silv.*, II, 7, 73. *Vita Suetoniana Lucani*. Reif., p. 50.

2. A. Baehrens, *Append. Verg.*, p. 38. Lipsiae, 1880.

3. Vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque
Maior, Homereo non minor ore fuit,
Illius haec quoque sunt divini elementa poetae
Et rudis in vario carmine Calliope.

4. Aut saltem eius compilator Donatus, a quo, si fides adhibetur quibusdam codicibus, hoc traditum est : « Scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam. »

APPENDIX

CIRIS

Etsi me vario iactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius suaves exspirans hortulus auras
Florentis viridi sophiae complectitur umbra,
Nec mea quit ratio dignum sibi quaerere carmen,
Longe aliud studium atque alios quae accincta labores
Altius ad magni subtendit sidera mundi
Et placitum paucis ausa est ascendere collem :
Non tamen absistam coeptum detexere munus,
In quo iure meas utinam requiescere musas
Et leviter blandum liceat deponere morem.
Quod si mirificum .... genus omnes
Mirificum saecli modo sit tibi velle libido,
Si mihi iam summas Sapientia panderet arces,
Quattuor antiquis heredibus addita consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere atque humiles possem contemnere curas :
Non ego te talem venerarer munere tali,
Non equidem (quamvis interdum ludere nobis
Et gracilem molli liceat pede claudere versum),
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castae solvuntur vota Minervae
Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro,
Cum levis alterno zephyrus concrebruit euro
Et prono gravidum provexit pondere currum.

Felix illa dies felix et dicitur annus,
Felices qui talem annum videre diemque :
Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae
Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis,
Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco;
Additur aurata deiectus cuspide Typhon,
Qui prius, Ossaeis consternens aethera saxis,
Emathio celsum duplicarat vertice Olympum.
Tale deae velum sollemni tempore portant;
Tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu
Purpureos inter soles et candida lunae
Sidera, caeruleis orbem pulsantia bigis,
Naturae rerum magnis intexere chartis :
Aeternum sophiae coniunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina saeclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes,
Nunc primum teneros firmamus robore nervos,
Haec tamen interea, quae possumus, in quibus aevi
Prima rudimenta et primos exegimus annos,
Accipe dona meo multum vigilata labore
Promissaeque diu iam tandem exordia musae :
Impia prodigiis ut quondam exterrita amoris
Scylla novos avium sublimis in aere coetus
Viserit et tenui conscendens aethera penna
Caeruleis sua tecta super volitaverit alis,
Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
Pro patria solvens excisa funditus urbe.
Complures illam et magni, Messalla, poetae
(Nam verum fateamur : amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstro saxum infestare voraci;
Illam esse aerumnis quam saepe legamus Ulixi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Iamque alias alii vulgo finxere puellas,
Quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero.
Ipse Crataein ait matrem; sed sive Crataeis
Sive illam monstrum genuit grave Echidna biformis,
Sive est neutra parens atque hoc in carmine totum
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido,

Sive etiam iactis speciem mutata venenis
Infelix virgo (quid enim commiserat illa?
Ipse pater timidam vacua complexus harena
Coniugium castae violaverat Amphitrites;
Attamen exegit longo post tempore poenas,
Ut, cum cura sui veheretur coniugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum),
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes
Et cupidos quaestu passim popularet amantes,
Horribiles circum vidit se sistere formas 80
Piscibus et canibusque malis vallata repente est 79
(Heu quotiens mirata novos expalluit artus! 81
Ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus!),
Ausa quod est mulier numen fraudare deorum
Et dictam Veneri votorum avertere poenam;
Quam, mala multiplici iuvenum quod saepta caterva
Vixerat atque modo meretrix iactata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuisse
Docta Palaephatia testatur voce papyrus:
Quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
Mnemosyne, potius liceat notescere Cirin
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare quae cantus meditanti mittere certos
Magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
Pierides, quarum castos libamina postes
Munere saepe meo inficiunt foribusque hyacinthi
Dependent flores aut suave rubens narcissus
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha
Sparsaque liminibus floret rosa, nunc age, divae,
Praecipue nostro nunc adspirate labori
Atque novum aeterno praetexite honore volumen.
Sunt Pandioniis vicinae sedibus urbes
Actaeos inter colles et candida Thesei
Purpureis late ridentia litora conchis,
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara, Alcathoi quondam munita labore
Alcathoi Phoebique: deus namque adfuit illi;
Unde etiam citharae voces imitatus acutas
Saepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus
Et veterem sonitu Phoebi testatur amorem.
Hanc urbem ante alios qui tum florebat in armis
Fecerat infestam populator remige Minos,
Hospitio quod se Nisi Polyidos avito

Carpathium fugiens et flumina Caeratea
Texerat. Hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretaea sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas
Reicere et indomitas virtute retundere mentes,
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis (mirabile dictu!)
Candida caesaries (florebant tempora lauro),
At roseus medio surgebat vertice crinis;
Cuius quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
Concordes stabili firmarunt numine parcae.
Ergo omnis caro residebat cura capillo,
Aurea sollemni comptum quem fibula ritu
Cecropiae et tereti nectebant dente cicadae.

Nec vero haec urbis custodia vana fuisset,
Nec ruerat, ni Scylla novo correpta furore,
Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulchrum,
O nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Iuppiter (ille etiam Poenos domitare leones
Et validas doctus vires mansuescere tigris,
Ille etiam divos, homines — sed dicere magnum est),
Idem tum tristes acuebat parvulus iras.
Iunonis magnae, cuius fera iurgia divae
Olim ipsae meminere, eheu peritura puella
Nulli non sanctam, violaverat inscia sedem,
Dum sacris operata deae lascivit et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem
Et tumidos agitante sinus aquilone relaxans.
Necdum etiam castos gustaverat ignis honores,
Necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivae,
Cum lapsa e manibus fugit pila cumque ea lapsa est,
Procurrit virgo. Quod uti ne prodita ludo
Auratam gracili solvisses corpore pallam!
Omnia quae retinere gradum cursusque morari
Possent o tecum vellem tu semper haberes:
Non umquam violata manu sacraria divae
Iurando, infelix, nequicquam iura piasses.

Et siquis nocuisse tibi periuria credat,
Causa pia est : timuit fratri te ostendere Iuno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
Quaeritur ex omni verbo atque iniuria facto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra -
Heu nimium certo, nimium torrentia nisu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
  Quae simul ac venis hausit sitientibus ignem
Et validum penitus concepit in ossa furorem,
Saeva velut gelidis Edonum Bistonis oris
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo
Infelix virgo tota bacchatur in urbe,
Non storace Idaeo fragrantes tincta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens bacata monilia collo.
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu :
Saepe redit patrios adscendere perdita muros
Aeriasque facit causam se visere turres,
Saepe etiam tristes volvens in nocte querelas
Sedibus ex altis arcis speculatur amorem
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit, carum non respicit aurum,
Non arguta sonant tenui psalteria chorda,
Non Libyco molles plauduntur pectine telae.
Nullus in ore rubor : ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solacia tantis
Tabidulamque videt labi per viscera mortem,
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur et horribili praeceps impellitur oestro,
Ut patris, a demens, crinem de vertice sectum
Furtimque arguto detonsum mitteret hosti,
(Namque haec condicio miserae proponitur una)
Sive illa ignorans (quis non bonus omnia malit
Credere quam tanti sceleris damnare puellam ?)
Heu tamen infelix : quid enim imprudentia prodest?
Nise pater, cui direpta crudeliter urbe
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido,
Tum quoque avis metuere : dabit tibi filia poenas.
Gaudete, o celeres, subnisae nubibus altis,
Quae mare, quae virides silvas lucosque sonantes
Incolitis, gaudete, vagae blandaeque volucres;
Vosque adeo, humanos mutatae corporis artus,

Vos o crudeli fatorum lege, puellae
Dauliades, gaudete : venit carissima vobis
Cognatos augens reges numerumque suorum
Ciris et ipse pater. Vos, o pulcherrima quondam
Corpora, caeruleas praevertite in aethera nubes,
Qua novus ad superum sedes haliaeetus et qua
Candida concessos ascendat ciris honores.
Iamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat, vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio iactabat inani :
Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia temptat
Et pressis tenuem singultibus aera captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur ferroque manus armata bidenti
Evolat; at demptae subita in formidine vires :
Caeruleas sua furta prius testatur ad umbras.
Nam qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paulum remoratur et alte
Suspicit ad caeli nictantia sidera, multa
Non accepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phoenicis filia Carme
Surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo aeratus stridens in limine cardo),
Corripit extemplo fessam languore puellam
Et simul 'o nobis sacrum caput' inquit 'alumna,
Non tibi nequicquam viridis per viscera pallor
Aegrotas tenui suffudit sanguine venas
Nec levis hoc faceres (neque enim pote) cura subegit.
Haud fallor (quod ut a potius, Rhamnusia, fallar) :
Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi
Nec gravidos Cereris dicam contingere fetus,
Qua causa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
Dic age nunc miserae saltem, quod saepe petenti
Iurabas nihil esse mihi, cur maesta parentis
Formosos circum virgo remorere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille Arabae Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
Ut scelere infando (quod ne sinat Adrastea)
Laedere utrumque uno studeas errore parentem!
Quod si alio quovis animi iactaris amore

(Nam te iactari, non est Amathusia nostri
Tam rudis ut nullo possim cognoscere signo),
Si concessus amor noto te macerat igni,
Per tibi Dictynnae praesentia numina iuro,
Prima decus quae dulce mihi te donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Milia visuram quam te tam tristibus istis
Sordibus et senio patiar tabescere tali'.
Haec loquitur, mollique ut se velavit amictu,
Frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
Quae prius in tenui steterat succincta crocota.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens
Persequitur miserae causas exquirere tabis,
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces
Marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra.
Illa autem 'quid me' inquit 'io nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore,
Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,
Nec genitor cordi est : ultro namque odimus omnes.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
Nil, quo falsa tamen lateat pietatis imago;
Sed media ex acie mediisque ex hostibus, eheu,
Quid dicam quove ausa malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem, quoniamque tibi non dicere, nutrix,
Non sinis, extremum hoc munus morientis habeto.
Ille (vides), nostris qui moenibus adsidet hostis,
Quem pater ipse deum sceptri donavit honore,
Cui parcae tribuere nec ullo vulnere laedi
(Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis),
Ille mea, ille idem oppugnat praecordia Minos.
Quod, te per divum crebros testamur amores
Perque tuum memori sanctum mihi pectus alumnae,
Ut me si servare potes ne perdere malis;
Sin autem optatae spes est incisa salutis,
Ne mihi quam merui invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset,
Aut ferro hoc' (aperit ferrum quod veste latebat)
'Purpureum patris dempsissem vertice crinem
Aut mihi praesenti peperissem vulnere letum'.
Vix haec ediderat, cum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crines

Et graviter questu Carme complorat anili :
'O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum nostrae Minos inimice senectae,
Quem per ut a olim natae te propter eundem
Hunc amor insanae luctum portaret alumnae!
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
Iam iam nec nobis aequo senioribus ullum
Vivere uti cupiam vivit genus. Ut quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, mei spes una sepulchri,
Te, Britomarti, diem potui producere vitae?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianae
Venatus esses virgo sectata virorum,
Gnosia nec Partho contendens spicula cornu
Dictaeas ageres ad gramina nota capellas :
Numquam tam obnixe fugiens Minois amores
Praeceps aerii specula de montis iisses.
Unde alii fugisse ferunt et numina Aphaeae
Virginis adsignant, alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine lunam.
Sint haec vera velim : mihi certe, nata, peristi.
Numquam ego te summo volitantem in vertice montis
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conspiciam nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum haec tum nobis gravia atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret
Et vox ista meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit,
Tene, o sola meae vivendi causa senectae?
Saepe tuo dulci nequicquam capta sopore,
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me, infelix, aut quae me fata reservant?
An nescis qua lege patris de vertice summo
Edita candentes praetexat purpura canos,
Quae tenuis patrio spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem,
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum :
Sin est quod metuo, per te, mea alumna, tuumque
Expertum multis miserae mihi rebus amorem,
Perdita saeva precor per lumina te Ilithyiae,
Ne tantum facinus tam nulla mente sequaris.

Non ego te incepto (fieri quod non pote) conor
Flectere amore neque est cum dis contendere nostrum;
Sed patris incolumi potius denubere regno
Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, Penates.
Hoc unum exitio docta atque experta monebo.
Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere (sed poteris : quid enim non unica possis?),
Tum potius tamen ista, pio cum iure licebit,
Cum facti causam tempusque doloris habebis,
Tum potius conata tua atque incepta referto;
Meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor : nihil est, quod texitur ordine, longum.
  His ubi sollicitos animi relevaverat aestus
Vocibus et blanda pectus spe luserat aegrum,
Paulatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis et placidam tenebris captare quietem
Inverso bibulum restinguens lumen olivo
Incipit ad crebrosque insani pectoris ictus
Ferre manum, adsiduis mulcens praecordia palmis.
Noctem illam sic maesta super morientis alumnae
Frigidulos cubito subnisa pependit ocellos.
Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum
Et gelida venientem ignem quatiebat ab Oeta,
Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae
(Hesperium vitant, optant ardescere Eoum),
Praeceptis paret virgo nutricis et omnes
Undique conquirit nubendi sedula causas.
Temptantur patriae submissis vocibus aures,
Laudanturque bonae pacis bona : multus ineptae
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit
Communemque timere deum, nunc regis amicis,
Iamque ipsi verita est, orbum flet maesta parentem,
Cum Iove communes qui nolit habere nepotes.
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit et divum terret formidine cives;
Nunc alia ex aliis (nec desunt) omina quaerit.
Quin etiam castos ausa est corrumpere vates,
Ut, cum caesa pio cecidisset victima ferro,
Essent qui generum Minoa auctoribus extis
Iungere et ancipites suaderent tollere pugnas.
  At nutrix, patula componens sulphura testa,
Narcissum casiamque herbas contundit olentes

Terque novena ligans triplici diversa colore
Fila : 'ter in gremium mecum' inquit 'despue, virgo,
Despue ter, virgo : numero deus impare gaudet'.
Inde Iovi magno geminat Stygialia sacra,
Sacra nec Aeaeis anibus nec cognita Grais;
Pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines nec possunt flectere divi
(Tanta est in parvo fiducia crine cavendi),
Rursus ad inceptum sociam se adiungit alumnae
Purpureumque parat rursus tondere capillum,
Tum longo quod iam captat succurrere amori,
Non minus illa tamen revehi quod moenia Cressa
Gaudeat : et cineri patria est iucunda sepulto.
Ergo iterum capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens deciditur ostro,
Tum capitur Megara et divum responsa probantur,
Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo.
Complures illam nymphae mirantur in undis,
Miratur pater Oceanus et candida Tethys
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores,
Illam etiam, iunctis magnum quae piscibus aequor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothea parvusque dea cum matre Palaemon,
Illam etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum,
Tyndaridae niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces atque haec lamenta per auras
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad caelum infelix ardentia lumina tendens,
Lumina : nam teneras arcebant vincula palmas :
« Supprimite o paulum turbati flamina venti,
Dum queror et divos (quanquam nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, testabor et aurae,
Vos, Pandionia si qui de gente venitis,
Cernitis : illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla (quod o salva liceat te dicere Procne);
Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam,
Certatim ex omni petiit quam Graecia regno,
Qua curvus terras amplectitur Hellespontus;

Illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniux
Dicta tibi : tamen haec, etsi non accipis, adsum.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot adsiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio, quod sic patriam carosque penates
Hostibus immitique addixi ingrata tyranno.
Verum istaec, Minos, illos scelerata putavi,
Si nostra ante aliquis nudasset foedera casus,
Facturos, quorum direptis moenibus urbis
O ego crudelis flamma delubra petivi;
Te vero victore prius vel sidera cursus
Mutatura suos quam te mihi talia captae
Facturum metui. Iam iam scelus omnia vincit.
Ten ego plus patrio dilexi perdita regno?
Ten ego? nec mirum, vultu decepta puella
Ut vidi ut perii, ut me malus abstulit error.
Non equidem ex isto speravi corpore posse
Tale malum nasci : forma vel sidera fallas.
Me non deliciis commovit regia dives,
Dives curalio fragili et lacrimoso electro,
Me non florentes aequali corpore nymphae,
Non metus incensam potuit retinere deorum
Omnia vicit amor; quid enim non vinceret ille?
Non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos accendet pinus honores,
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.
Vana queror : nec me illa quidem communis alumnam
Omnibus iniecta tellus tumulabit harena.
Mene inter matres ancillarisque maritas,
Mene alias inter famularum munere fungi
Coniugis atque tuae, quaecumque erit illa, beatae
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses!
Iam fesso tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit,
Marmorea adductis tabescunt bracchia nodis.
Aequoreae pristes, immania corpora ponti,
Undique conveniunt et glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Iam tandem casus hominum, iam respice, Minos!
Sit satis hoc, tantum Scyllam vidisse malorum;
Vel fato fuerit nobis haec debita pestis,

Vel casu incerto, merita vel denique culpa :
Omnia nam potius quam te fecisse putabo'.
  Labitur interea resoluta ab litore classis,
Magna repentino sinuantur lintea coro,
Flectitur in viridi remus sale, languida fessae
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidae magni florentia regna Corinthi.
Praeterit abruptas Scironis protinus arces
Infestumque suis dirae testudinis exit
Spelaeum multoque cruentas hospite cautes.
Iamque adeo tutum longe Piraeea cernit,
Et notas eheu frustra respectat Athenas.
Iam procul e fluctu Salaminia suspicit arva
Florentesque videt iam Cycladas : hinc sinus illi
Sunius, hinc statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon
Marmoreamque Paron viridemque adlapsa Donysam
Aeginamque simul sementiferamque Seriphum.
Fertur et incertis iactatur ad aera ventis,
Cumba velut, magnas sequitur cum parvula classes,
Afer et hiberno bacchatur in aequore turbo,
Donec tale decus formae vexarier undis
Non tulit ac miseros mutavit virginis artus
Caeruleo pollens coniux Neptunia regno.
Sed tamen externam squamis vestire puellam
Infidosque inter teneram committere pisces
Non statuit (nimium est avidum pecus Amphitrites) :
Aeriis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine ciris,
Ciris Amyclaeo formosior ansere Ledae.
Hic velut in niveo, tenera est cum primitus ovo
Effigies animantis et internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore :
Sic liquido Scyllae circumfusum aequore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Undique mutabant atque undique mutabantur.
Oris honos primum et multis optata labella
Et patulae frontis species concrescere in unum
Coepere et gracili mentum producere rostro;
Tum qua se medium capitis discrimen agebat,

Ecce repente velut patrios imitatus honores
Puniceam concussit apex in vertice cristam;
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt bracchia pennas.
Inde alias partes minioque infecta rubenti
Crura nova macies obduxit squalida pelle
Et pedibus teneris ungues adfixit acutos.
Et tamen hoc demum miserae succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni coniuge dignum.
Numquam illam post haec oculi videre suorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas,
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
Nullae illam sedes : quid enim cum sedibus illi?
Quae simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad caelum stridentibus extulit alis
Et multum late dispersit in aequora rorem
Infelix virgo nequicquam a morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit aevum,
Rupibus et scopulis et litoribus desertis.
Nec tamen hoc ipsum poena sine : namque deum rex,
Omnia qui imperio, terras, mare, sidera versat,
Commotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater exstinctus caeca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam saepe nitentum
Sanguine taurorum supplex resperserat aras,
Saepe deum largo decorarat munere sedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam
Fecitque in terris haliaeetos ales ut esset :
Quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscis.
Huic vero miserae, quoniam damnata deorum
Iudicio patrisque et coniugis ante fuisset,
Infesti adposuit odium crudele parentis.
Namque ut in aetherio signorum lumine praestans,
Unum quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona,
Sic inter sese tristis haliaeetos iras
Et ciris memori servant ad saecula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat aera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aera pennis.

Vidi ac perlegi
Lutet. Paris. in Sorbona
a. d. XIII Kal. Mart. an. MDCCCLXXXI
Facult. Litter. in Acad. Paris. decanus
H. WALLON.

Typis mandetur
Academiæ Pariensis rector
GRÉARD.

ARGUMENTUM

Le Puy, typographie et lithographie Marchessou fils.